

COVEANVS. [1.] Si postquam lata adversum te sententia est, forum mutasti, non eo ejus executio impeditur. Idem dicendum, si post litem contestatam forum mutasti. Lata enim iure postea sententia executioni mandabitur. Ait Vlpianus. *Quaedam Puella.* Quae in iudicio cum tute stare poterat *l. 1. qui legit. pers. hab. C. & l. 1. de administrat. tut.* [2.] Quemadmodum & manumittere potest *l. pupillus 24. de manumiss. vind.* si impubes est: si pubes, cum curatore stare potest. *Apud competentem iudicem.* Competens iudex ad differentiam dati dicitur *l. penult. iud. sol. l. sed & bae. 35. de procur.* Litem suscepere. Ergo infans non erat. [3.] Et sane pueri sive

puellae a septimo anno dicuntur, *infra infantes l. si infanti 18. de iure delib. C. & l. 1. §. 1. de administrat. & peric. tut.* Ad matrimonium viri, alii iurisdictioni subiecti. [4.] Concubinae forum non mutant, neque uxores, quae non sunt legitimae, ut iam supra scripsimus. Solae uxores legitimae forum & domicilium mutant *l. filii 22. §. 1. l. sponsa 32. l. de iure. 37. ad municip.* Quae a priore iudice recte ferretur. Repugnat enim *recte ferri, & executioni non mandari.* Sed quomodo mandabitur, cum extra territorium ius dicenti impune non paretur? & de hoc ad *l. sequentem* dicemus. *Ad iurisdictionem.* Quemadmodum hoc loco iurisdictione accipi debeat, ex iis, quae scripsimus ad *l. se idem II. intelligi* potest. Et haec ad *Legem quaedam puella.*

AD L. XX.

PAVLVS Lib. 1. ad Edictum.

Extra territorium ius dicenti impune non paretur. Idem & si supra iurisdictionem suam velit ius dicere.

S V M M A R I V M.

1. Conciliatur haec lex cum praecedenti.
2. Urbani magistratus in provinciis nullum imperium est.
3. Vera lectio §. 1. l. 15. ff. de re iud.

4. Territorium quid & unde dictum.
5. Magistratus municipales suam iurisdictionem tueri non possunt.

COVEANVS. Idem scribit Iureconsultus in *l. cum unus 12. §. is 1. de bon. autor. iud. poss. & in l. 1. de off. Praef. Vrb.* [1.] Quomodo igitur in casu legis superioris proximae, sententia adversus pueram, quae forum mutaverat, lata, executioni mandari posse dicitur, si extra territorium impune ius dicenti non paretur? Et dicendum puto, si quidem bona habuit in ea iurisdictione, quam mutavit, posse in iis fieri executionem. Si vero nulla bona habuit, iussu Principis, is, qui iurisdictioni praeeft, cui subiecta esse coepit, sententiam exequetur. Argumento *l. a divo Pio 15. de re iud. §. 1. Sententiam* (ait Vlpianus) *Romae dictam, in provinciis posse Praefides, si hoc iussi fuerint* (sic enim eo loco, non, *si hoc visum fuerit*, legitur in vetere meo codice) *ad finem persequi.* Idem Imperator noster cum patre suo rescripsit. Principis itaque iussione opus est. [2.] Urbani nanque magistratus nullum in provinciis imperium est. [3.] Quod si legimus,

si hoc visum fuerit, in arbitrio erit Praefidis, exequi sententias in alia provincia dictas. Nisi forte id, cuius nomine damnati sumus in provincia, in Urbe contractum fuerat: tum enim Romae iudicatum facere cogimur arg. *l. argentarium 45. §. nomine pupillae 1. de iud.* Nomine pupillae (ait Iureconsultus) tutoribus in provincia condemnatis, curatores puerorum iudicatum Romae facere coguntur, ubi mutuam pecuniam mater accepit, cui filia haeres extitit. [4.] Territorium autem ager est, qui ad municipium pertinet *l. pupillis 239. §. 8. de verb. sig. l. 3. §. non perpetuum 4. de sepulch. viol.* Idem scribunt Iulius Frontinus, Aggenius Vrbicus, & Varro de *Lingua Latina*, si modo Varronis is liber est: qua de re antea scripsimus. Iureconsultus in *l. pupillus, iam citata, a terendo, hoc est, submovendo, ut ego* interpretor, *territorium, dictum putat.* Frontinus, *quia terrendi hostis causa sit constitutum.* Varro a terra dictum putat (id quod verius est) ut cuiusque civitatis ager & terra *territorium* appellatur. Hic autem *territorium latius sumus, qua patet iudicis cuiusque iurisdictionis*: ut non

non ad magistratus modo municipales, sed ad Defensores quoque civitatum verba legis huius pertineant. *Impune.* [5.] Sed idem videtur intra territorium, cum poenali iudicio magistratus municipales, suam iurisdictionem tueri non possint *l. unica*. *si quis ius dicenti.* Sed in hoc subsistimus. *Idem si supra iurisdictionem.* Nisi inter convenientes *l. inter convenientes.* 28. *ad municip.*

Habes, *EGVINARI*, secundas meas de *Iurisdictione* opiniones. De quibus si iudicare velis, quasi non meis, hoc est, libero ab omni studio & aemulatione animo, aliquid fortasse me vidisse dices, neque frustra post tot & tales viros, qui hac de re scripserunt, laborem hunc sumere voluisse. Sed de me & scriptis meis iudicabis tu quidem, ut voles, voles autem, ut debabis, itemque ego de te & de tuis. Cautio tamen utriusque nostrum erit, ne, qui iudicio certis duntaxat de rebus dissentimus, animis quoque dissidere videamur. Cum enim turpe id fuerit hominibus, & studiis, & ratione interpretandi iuris civilis, & proposito in pristinum nitorem restituendi coniunctissimis: tum vero

Hoc Itacus velit, & magno mercentur Atridae. Hoc est, homines indoctissimi & infantissimi, quibuscum pro iuris civilis dignitate iustum ac piuum bellum gerimus. Cuius exitus qui futurus

est, quis non videt? Vidimus spinosam Theologiam, barbaram ac peregrinam Medicinam, vanam & loquacem Philosophiam, Dialecticam ipsam, omnium artium electricem & conservatrixem, conspurcatam & constupratam, Grammaticam ridicule argutam. Hae omnes artes suo nitori restitutae hodie sunt. Ius Populi Romani semper deturpatum & deformatum aspicimus? Non hoc Deus Opt. Max. sinat, Graecas & Latinas literas ad haec studia iuventus e ludo adferat: adferat Dialecticam: adferat Philosophiae tantum, quantum capere ea aetas potest: adferat veteris memoriae, maxime Populi Romani, scientiam. Teneat Avenionem *AEMILIVS FERRETVS*, parens alter meus. Recuperet *FERRERIOS & CORASIOS* Tolosa: recuperet, inquam, *FERRERIOS*, & *CORASIOS* Tolosa: vereor enim, ne illud non satis exaudierit. Teneat Cadurcum *PETRVIA* meus: tu, *EGVINARI*, Bituriges. Redeat in pugnam *FRANCISCVS DVARENVS*. Cedent opinione celerioris Scholarum possessione barbari: libros & literas omittent illiterati. Quod ad me attinet, ubi ubi ero, bellum illis erit: & quocunque in acie loco constitero, pugnabunt. Quod si nullus in bello mei, nullus in acie usus est, vota saltem pro vestra victoria faciam, quorum nunquam nisi sero damnabor.

M V I L A M M V S



ANTONII GOVEANI
DE
IVRE ACCRES CENDI
LIBER.

ANTONII GOVEANI
DE ANDREA
IVRE ACCRES CENDI
LIBER,
AD
ANDREAM GOVEANVM
FRATREM.

**ANTONIVS GOVEANVS
ANDREAE GOVEANO
F R A T R I S.**

VM multae res in iure civili nequaquam satis adhuc explicatae sint, tum perobscura, ANDREA frater, quaestio est DE IVRE ACCRESCENDI. De qua literis tam variae proditae sunt, tamque discrepantes sententiae, ut non leve operae pretium facturum me existimaverim, si de re tam incerta certi aliquid afferre possem. Studiose itaque Pandectarum locis iis, qui quaestionis huius proprii videbantur, conquisitis, nostroque adhibito ordine, illud efficere conati sumus, ne qua magna in parte hac iuris supereffet dubitatio. Quicquid id autem est, quod effecimus, tibi damus dicamusque natura atque animo fratri, beneficiis parenti. Vale. Tolosae. id Aug. (1545.)

ANTONII GOVEANI

D E IVRE ACCRESCENDI LIBER.

S V M M A R I V M.

1. *Ius Accrescendi quid?*
2. *Est Ius personale.*
3. *Inter patronum & liberti heredem non habet locum.*
4. *Ius accrescendi inter quos obtineat?*
5. *Coniuncti quinam & quatuor modi?*
6. *Coniuncti maxime sunt, qui re & verbis sunt coniuncti.*
7. *Coniunctio non aestimatur in generaliter institutis heredibus.*
8. *Re & verbo coniunctus substituto potior est.*
9. *Re coniunctis qua mente eadem res legetur?*
10. *Quinam sint coniuncti re?*
11. *Locus Pauli & Caii ICTORUM explicatur.*
12. *An coniuncti etiam intelligendi, quorum alteri sub conditione legatum su?*
13. *Non obtinet ius Accrescendi inter illos, qui contra testatoris mentem ad legatum admittuntur.*
14. *Quando heredi coniuncti demortui vacans portio accrescat?*
15. *Vlpiani locus difficilior expositus.*
16. *An coniuncti sint, quantum ad ius accrescendi, qui sine partibus sunt instituti?*
17. *Verbis tantum coniuncti quinam?*
18. *Ius Accrescendi inter illos non habet locum.*
19. *Pomponii, Caii & Metiani contraria sententia quomodo explicanda?*
20. *Modestini locus quomodo intelligendus?*
21. *Ius Accrescendi obtinet quoque inter illos, quibus ex SCto Trebell. est restituta hereditas.*
22. *Vlpiani locus explicatur & obiter emendatur.*
23. *Inter heredem fiduciarium & coheredem ius Accrescendi obtinet.*
24. *Versatur etiam in honorum possessionibus.*
25. *Inter patronum liberti & scriptum heredem non locum habet.*
26. *Pauli locus exponitur.*
27. *Cur ius Accrescendi inter patronum & scriptum heredem non habeat locum?*
28. *An filius ex legitima parte heres iure Accrescendi gaudeat?*
29. *An plures domini per communem servum ius Accrescendi habeant?*
30. *Quomodo Paulus intelligendus, cum dicit, re & verbis coniuctos ceteris omnino preferri?*
31. *Iulianus defendit.*
32. *Celsi locus perdifficilis quomodo explicandus?*
33. *Ius non decrescendi quid commune habeat cum iure accrescendi?*
34. *An communis dominus totum etiam acquirat, si alter dominus capere nequeat?*
35. *Ecquid singulare ius in Usufructu obtineat?*
36. *In usufructu durat etiam post partium acquisitionem coniunctio, secus atque in proprietate.*
37. *Deducto Usufructu si quis proprietatem tradiderit, ipsi tamen vacans portio accrescit.*
38. *Vlpiani locus explicatur.*
39. *Ius accrescendi aut huic simile obtinet inter proprietarium & fructuarium.*
40. *An Ius Accrescendi versetur inter plures patronos?*
41. *Obscurissimi Vlpiani loci quis sensus?*
42. *Iuramentum inducit ius personale.*
43. *Epilogus de ratione studiorum suorum in iure Civ. ad ANDREAM GOVEANVM, fratrem.*

[1.]



VS ACCRESCENDI, de quo scribere proposuimus, sic videtur posse non male definiri, esse *ius*, quo *ei*, qui partem rei alicuius suam fecit, pars altera sine novo illo iure acquiritur. Quae definitio quia totam hanc quaestionem continet, exponenda initio

est, sed crassa, ut aiunt, Minerva. Dicimus igitur, *Iure accrescendi ei*, qui partem acquisivit, partem alteram acquiri, ut illud significemus.

[2.] Ius hoc *personale* esse, quum *ei*, qui partem acquisivit, non acquisitae parti pars accrescit: si enim, quam acquisivisti partem, aut alienes, aut iudicio amittas, non minus idcirco pars tibi altera accrescat. Antequam autem tuam ipse

ipse partem acquiras, alienam acquirere non possis: acquiris vero aut per te, aut per eum, qui iuri tuo subiectus est: nam & inter plures dominos, qui per communem servum acquirunt, aut *ius hoc accrescendi*, aut huic cognatum, atque affine *non decrescendi*, reperitur. Quid si partem tuam Titio tradideris, itaque Titius eam acquisierit, habebit ne Titius *ius accrescendi*? & magis est, ut non habeat, neque enim ab eodem cepit autore, a quo & is, cuius pars vacat. Haeredi tamen tuo accrescit: eadem nanque Haeredis & Testatoris persona est.

[3.] *Sine novo ullo iure eo addidimus, ut inter patronum & haeredem liberti non esse ius hoc, significaremus; cum patrono repudiantis scripti haeredis pars sine nova bonorum possessione non acquiratur.* Quae omnia ex sequentibus plane intelligentur.

[4.] Fere autem ius hoc inter *coniunctos* est, *cohaeredes, collegatarios, plures dominos*, qui per communem servum acquirunt: est & simile aliquid inter *fructuarium & proprietarium*: de quibus omnibus in hoc commentario scribemus, eo quo divisimus ordine: scribemus autem ad modum.

[5.] Principio igitur *de coniunctis*. Iulius Paulus ait, *l. 89. de Leg. iii. Re coniuncti videntur, non etiam verbis, cum duobus separatim eadem res legatur.* Item *verbis non etiam re, Titio & Seio fundum aequis partibus do lego: quoniam semper partes habent legatarii.* Praefertur igitur omnino caeteris, qui & re & verbis *coniunctus est.* Quod si re tantum, constat, non esse potiorum: Si vero verbis *coniunctus sit, re autem non, quaestionis est, an coniunctus potior sit. & magis est, ut ipse preferatur.* Triplicem ostendit Paulus coniunctionem, *re tantum, re & verbis, verbis tantum.* Re tantum hoc modo, *Titio fundum Seiarum do lego, Sempronio eundem fundum do lego:* hos enim in eandem rem vocatos a Testatore, verborum nulla iungit complexio. Re & verbis sic, *Titio & Sempronio fundum illum aequis partibus do lego:* videri enim non possunt coniuncti re, quibus assignatae attributaeque a Testatore sunt partes.

[6.] *Coniuncti maxime sunt, qui & re & verbis coniuncti sunt: quorum si alter aut legatum repudiet, aut ante moriatur, quam dies legati cedat, aut sibi vero & alteri legato ascripto, in Libonianum inciderit, alter in ea parte personis omnino caeteris preferatur.* Re autem & verbis coniuncti intelligendi sunt non modo, qui sic coniunguntur, *Titius & Maevius ex parte dimidia haeredes sunt, sed & ii, Titius Maeviusque ex parte dimidia haeredes sunt:* vel, *Titius cum Maevio ex parte dimidia haeredes sunt.* Sed & detractis iis articulis ET, QVE, CVM interdum tamen coniuncti accipiuntur, veluti, *L. Titius, P. Maevius ex parte dimidia haeredes sunt:* vel ita, *L. Titius P. Maevius haeredes sunt:*

funto: Sempronius ex parte dimidia haeres esto: ut Titius & Maevius veniant in partem dimidiad, coniunctique re & verbis esse videantur: Non tamen quod ad ius accrescendi, uti postea docemus. Quid si duos sic instituas, L. Titius & P. Maevius haeredes sunt, eruntne ii re & verbo coniuncti? An nihil intererit, sic instituas, Titius & Maevius haeredes sunt, an sic, Titius haeres esto, Maevius haeres esto? & quod ad ius quidem accrescendi attinet, nihil videtur interessere. haeredi enim scripto utique pars haereditatis accrescit. Quid si Titio des substitutum, an Maevio, sive hoc sive illo modo institueris, praferetur? Et verius est, praferri. Generaliter nanque definit Vlpianus l. 2. §. 8. de honor. poss. sec. tab. lib. xxx. ad Edict. si duo sint haeredes instituti Primus & Secundus, & Secundo Tertius substitutus, omittente Secundo bonorum possessionem Tertium succedere. Et Julianus lib. xxv. Dig. sribit, si duobus haeredibus institutis deducto usufructu proprietas legetur, non habere haeredes ius accrescendi.

[7.] Non aestimabitur itaque coniunctio in iis, qui generaliter pureque sunt haeredes instituti: nihil enim habent, quod si coniunctio absit, non habeant. Tum coniunctio aestimabitur, cum sic institueris, *Primus ex parte dimidia, Secundus & Tertius ex parte dimidia haeredes sunt.* Nam si Tertio Quartum substitueris, nisi utroque repudiante, ad Tertii partem Quartus vix admittatur: obstat enim Secundus, qui ad vicem coniuncti, in eo, in quo coniuncti sunt, proxime accedere videtur: cum & alteri apposita conditio non impleta utrique noceat, & alteri remissa, utrique remissa videatur. Neque contra nos illud facit, quod coniunctus legge, voluntate demortui, quae plus quam lex potest polletque, substitutus dicitur adiuvari. Id enim Testatorem velle interpretamur, ut quem coniuncto dat substitutum, utroque demum repudiante, quum ante non potest, admittatur. Sed ad totum ne semissim, an ad partem? Et probabile videatur, cum Primo ita divisurum, ut Secundi pars utrique pro portione tanquam cohaeredibus accrescat, Tertii integrum ipse partem ferat.

[8.] Re igitur verboque coniunctus etiam substituto potior erit, si modo, quod ad ius accrescendi attinet, coniunctus sit. Omnibus igitur omnino personis praferetur, quocunque tandem iure nitantur. Re vero duntaxat coniunctus quemadmodum re verbisque coniuncto, ita & substituto. (*Substitutum autem tam in haereditate, quam in legato accipimus*) cedit. Iure tamen uitur accrescendi. Cum enim sic lego, *Titio fundum illum do lego, Maevio eundem fundum do lego,* duabus eo voto eaque mente fundum eundem relinquo, ut ad legatum uterque perveniat, concurrantque ambo in eodem illo fundo: eoque re illos videor coniungere: si ad

legatum alter non perveniat, tum vero uti ad collegatarium fundus solidus pertineat. Quod diligenter notandum est; si enim primum illud Testatorem voluisse dicimus, ut singuli solidum habeant, alter rem, alter aestimationem ferat: quod si est, ne coniuncti quidem dici posse videantur, quibus ita eadem legata res est.

[9.] Dicendum igitur rursus est, quod meminisse perpetuo oporteat, re coniunctis ea mente rem eandem legari, primum ut concurrant, parte inque suam quisque auferat, tum vero, uti repudiante altero legatum, solidum alter habeat. Quare inter eos verum erit ius accrescendi, non ius non decrescendi: accrescit enim certe, quod acquisitum nondum est, non decrescit, quod acquisitum non amittitur. Cum igitur coniuncti pars nunc demum eo repudiante mea fiat, magis est, ut accrescere, quam non decrescere dicatur. Nam si in coniunctis re tantum, ius esse non decrescendi, dicimus, quamobrem idem in coniunctis re & verbo non statuimus, quibus etiam solidum prima fronte assignare Testator videtur? Quod si est, nulla coniunctio ius inducit accrescendi. Quare quod Imperator scribit, *si pluribus disiunctim res eadem legata sit & in iis Titio, Titiusque primus vindicari, supervenientibus aliis, Titii legatum minui*, intelligendum sic erit, ut prima fronte minui videatur. Nam quemadmodum sermo Testatoris prima specie, ut eodem loco scribit Imperator, *solidum omnibus videtur assignare, ita concurrentibus caeteris, eius, qui primus accepit, minui legatum videtur: & non concurrentibus non videtur augeri*: sed vere si cogitare volumus, neque Testator solidum omnes habere voluit, neque diminuitur aliis concurrentibus legatum, & non concurrentibus augetur: ita enim, qui primus vindicat, legatum facit totum suum, si nemo praeterea vindicet: nam si pure suum facit, quomodo ei invito pars eripi potest? Totum igitur idcirco vindicat primus, quia non appareat, qua ex parte debeat vindicare: non appareat autem, quia a Testatore expressum non est.

[10.] Coniuncti autem re sunt, non etiam verbo, quibus eadem res separatim legatur: separatim autem legatur, quod singulis per se legatur. Si enim dicas *L. Titio, P. Maevio fundum illum do lego*, non legas separatim, quia non seorsum singulis, sed duabus coniunctim. Quid si in alia testamenti parte Titio, in alia Maevio, aut Titio in testamento, Maevio in codicillis ad testamentum factis eadem legata res sit, erunt ne coniuncti re Titius & Maevius? & magis est, ut coniuncti re sint, quibus in eodem testamento eadem legata res fuerit: in eodem porro testamento legatum etiam intelligitur, quod in codicillis ad testamentum factis relictum est: quos partem esse testamenti convenient. Non ergo exigitur, uti continenter & sine intervallo legemus iis, quos re coniunctos volumus. Quid si sic

dicas, a *Titio haerede Seio fundum illum lego*, a *Caio haerede eundem Maevio fundum lego*, erunt ne coniuncti re Seius & Maevius? Sed vix est, ut coniuncti dicantur, qui non ab eodem vindicant, neque concurrere ullo modo possunt. Sed videamus, quare cum sic legatum est *L. Titio fundum illum do lego, P. Maevio eundem fundum do lego*, non auferat alter rem, alter aestimationem.

[11.] Et Paulus lib. III. Sentent. recep. *Interdum, inquit, dimidium, interdum totum debetur legatariis: dimidium, si per vindicationem legatum sit, totum si per damnationem*. Et Caius lib. posteriore Institutionum, *Si per vindicationem, inquit, una res multis legata sit, & singuli hanc ipsam rem presumere velint, aequales singuli de re capiunt portiones. Inter legatum vindicationis & damnationis haec differentia est, ut si disiunctim, id est singulis quaevunque res per legatum damnationis relicta fuerit, singulis integra debeatur: id est, ut unus rem ipsam, alter aestimationem rei ipsius in pretio ab haerede percipiat*. Haec Caius. Ex iis Pauli & Caii locis colligi illud potest, inter eos, quibus eadem res per damnationem relicta est, non esse ius accrescendi: ut pote qui coniuncti non sint. Ut cum Paulus re coniunctos definit, *quibus eadem res separatim legatur*, intelligi oporteat, *Per vindicationem*: cuius legati haec sunt verba, *Illum servum tibi do, aut illum servum tibi lego*. Nam in damnatione ita dicimus, *Tu haeres meus illi hoc da, aut illud tibi ab haerede meo dari volo*. Sed vetere hac legatorum sublata iam differentia, re coniunctos dicemus, quibus eadem res quoquo modo separatim legatur, eritque inter omnes ius accrescendi.

[12.] Verum enimvero cum quaedam pure, quaedam sub conditione legentur, si Titio fundum illum pure legaverim, & eundem Maevio sub conditione, quaeri potest, sint ne coniuncti re? & dicendum est, coniunctos esse: deficiente enim conditione, Maevii pars Titio accrescit, quemadmodum scribit Julianus. Idem dicendum puto, & si alteri in diem sit legatum & ante eum diem decedat. Tractari illud etiam potest, si duabus legata res eadem sit separatim, alteri ita, *si x. haeredi dederit*, an cum onere coniuncto pars accrescat? & magis est, ut sine onere & libera accrescat: quod enim mero iure acquiritur, sine onere acquiritur. Quod si coniunctim sic legetur, *Titio & Maevio fundum illum do lego, si Titius x. dederit*, Titio non dante, conditione uterque destituitur: quare cum ex eo legato neuter quicquam capiat, non erit inter ipsos ius accrescendi. Quod si coniunctim sic legetur, *Titio & Maevio fundum illum do lego, si centum haeredi dederint*, si Titius quinquaginta det, partem suam feret: sed an & Maevii, si non dederit, pars ei accrescat? & Iabolenus accrescere cum onere respondit.

[13.] Illud notandum summe est, inter eos, qui contra Testatoris voluntatem admittuntur ad legatum, ius non esse accrescendi. Si enim mulieri & Titio ususfructus, siquidem non nupserit mulier, relictus sit, mulier quamvis nubat, legis tamen beneficio, quae conditionem viduitatis remittit, legatum capiet: & propter eam Titius: quodque per se non haberet, per coniunctam habebit personam. *Si Titius statu mutato usumfructum amittat, mulieri nihil eam rem profuturam*, scribit Papinianus, l. 74. de condit. & demonstr. Puto neque Titio, si mulier capite minuatur. Ambo enim contra voluntatem Testatoris legatum accipiunt.

[14.] Caeterum quod dicimus, coniuncto parte accrescere vacantem, intelligendum etiam est ipsius haeredi: eadem enim haeredis & demortui persona est: verum tamen haeredi ita demum accrescit, si demortuus aut legatum iam acquisierat, aut post diem legati mortuus est, denique si legatum legative petitionem transmisit ad haeredem: cui, quod Testator petere potuit, deberi certi juris est. Nec illud praetermittendum est, quod a Labeone Antistio tractatum scribit in libris ad Sabinum Vlpianus l. 17. §. 1. de haered. inst. *Si duos ex xi. unciis, duos sine parte haeredes quis scriperit, mox unus ex iis, qui sine parte fuerunt instituti, repudiarerit, utrum omnibus semuncia accrescat, an ad solum sine parte scriptum pertineat.* Qua in re Labeo variavit. Sed Servius Sulpitius omnibus accrescere dixit: neque enim esse coniunctos, quod ad ius accrescendi attinet, qui sine parte essent instituti. Nullo modo coniunctos eos, qui in eandem unciam veniunt, nemo dicat. Nam & Paulus coniunctos re & verbis putat eos, qui sic instituuntur, *L. Titius, P. Maevius haeres funto, Sempronius ex parte dimidia haeres esto.* Itaque Servius, quantum ad ius accrescendi, coniunctos esse, id vero negat: negat ergo praeferriri iis, qui ex partibus sunt instituti: accrescere tamen ipsis tanquam cohaeredibus non negat. Nam si omnibus semuncia accrescit, & sine parte scripto pro portione accrescit. Quale autem hoc sit, quod dicimus tanquam cohaeredibus accrescere, paulo post latius exponemus. Nunc ad Servium.

[15.] Is igitur, quod ad ius accrescendi attinet, coniunctos esse negat, qui sine partibus sunt instituti: quod subtili quadam ratione dictum videtur. Nam cum eos, quibus nihil relictum est, coniunctos vix quisquam dicat, qui autem sine partibus sunt instituti, iis nihil relictum videatur, merito negat Servius, eos, quod ad ius attinet accrescendi, coniunctos esse, hoc est praeferriri iis, qui ex partibus sunt instituti. Sed videamus, si qui sine partibus scripti sunt, coniunctim scripti sint, an non preferantur iis, qui ex partibus sunt instituti? & magis est, ut ne ita quidem preferantur. Generaliter enim Ser-

vius definit, non esse coniunctos, quod ad ius accrescendi attinet, qui sine partibus haeredes scripti sunt. Quid si sine partibus omnes haeredes scripti sint, nihil ne tum intererit coniunctim an separatim scripti sint? & Iabolenus scribit interesse: tum igitur inter coniunctim scriptos ius erit accrescendi. Qui enim scrupulus fieri potest, ubi ex parte institutus nemo haeres est? Quid si substitutus coniuncto datus est? & magis est, ut ei coniunctus non preferatur; si enim sic institui, *Primus & Secundus haeredes funto, Tertius haeres esto, Secundo Quartum substituo:* repudiante Secundo Quartus ad eius partem admittetur. Quod non fieret, si ex partibus Primus & Secundus essent instituti, uti paulo ante docerabamus. Sed satis iam multa de duobus illis primis coniunctionum generibus: ad tertium transeamus.

[16.] Genere igitur tertio ac postremo coniuncti sunt, qui verbis tantum coniuncti sunt, iis videlicet articulis, ET, QVE, CVM. Idcirco autem *verbis tantum coniuncti* dicuntur, quia a testatore ipso partes habent: hoc est a principio habent & semper habent. Qui autem partes sic habent, in res diversas vocari a testatore videntur: divisa enim pars totius nomen accipit. Quid qui re coniunguntur, an non partes habent? & magis est, ut ipsi partes faciant, quam ut a testatore habeant; in eandem igitur rem vocantur, eoque *coniuncti re* appellantur: illi autem *verbis tantum coniuncti*, qui non eadem re, sed orationis duntaxat vinculo coniunguntur.

[17.] Quae coniunctio non potest non esse infirmissima: vix enim est, ut ex sola orationis figura ullum ius oriatur: proinde neque accrescendi ius induxit. Qui enim sic legat, *Titio & Maevio fundum Cumanum aequis partibus do lego*, non tam eos coniungere videtur, quam celerius dicere voluisse. Vnde Pomponius, *Si ita quis, inquit, haeredes instituerit, Titius haeres esto, Caius & Maevius ex aequis partibus haeredes funto, quamvis ET syllaba coniunctionem faciat, si quis tamen ex iis decedat, non alteri soli pars accrescit, sed omnibus cohaeredibus pro haereditariis portionibus: quia non tam coniunxisse quam celerius dixisse videatur.* Quibus ex verbis quam certo illud colligitur, inter coniunctos verbis non esse ius accrescendi. Quod si locus hic non est ad id probandum satis, Imperatorem audiamus lib. II. inst. tit. de legatis, *Si eadem res, inquit, duobus legata sit, sive coniunctim, sive disiunctim, si ambo perveniant ad legatum, scinditur inter eos legatum: si alter deficiat, quia aut spreverit legatum, aut vivo Testatore decesserit, vel alio quoquo modo defecerit, totum ad collegatarium pertinet.* Coniunctim autem legatur, veluti si quis dicat, *Titio & Seio hominem Stichum do lego: disiunctim ita, Titio hominem Stichum do lego, Seio hominem Stichum*

do lego. Ait Imperator, *inter re & verbis coniunctos, inter re item duntaxat coniunctos ius esse accrescendi*: de coniunctione ea, quae verbo fit, siquidem & ea hoc quoque ius parit, quamobrem idem non scribit? Quin & Vlpianus *toties ius accrescendi esse*, ait, *quoties in duabus, qui in solidum habuerunt, concursu res dividitur, idque & Celso & Neratio vifum* scribit: ut inter eos, qui a principio partes habent, ius hoc esse nullo modo possit. Quamobrem igitur, dicat aliquis, coniunctus re & verbo re duntaxat coniuncto potior est, si verbi coniunctio nullam habet vim nullamque efficientiam? An, quae per se nihil possunt, cum aliis si coniungantur, aliquid interdum possint? neque novum id est iure Civili. *ex pacto nudo*, uti Paulus lib. Sentent. recep. II. scribit, *in cives Romanos actio non datur: sed si contractui apponatur, oriri ex eo pacto actionem, certi iuris est.*

[18.] Quid ergo Pomponio respondeamus, diserte pene dicenti, *inter verbis coniunctos ius esse accrescendi?* Sic enim scribit, *Si Titio & posthumo legatum sit, non nato posthumo, totum Titius vindicabit. Sed et si Testator viriles partes dari voluerit, vel etiam id expreſſerit, totum legatum Titio debetur non nato posthumo.* Idem scribunt Caius & Metianus. Caius ait, *Si tibi & posthumo suo restituere quis rogaverit, Metianus, Vel ex parte te, & ex parte posthumum haeredem instituiffet, legatumve aut fideicommissum dedisset, Caius, Vtrum ita posthumus partem faciat, si natus sit, an et si natus non sit, quaeritur. Ego commodius dici puto, siquidem natus non est, minime eum partem facere, sed totum ad te pertinere, quasi ab initio tibi solido relicto.* Non possunt tres ii Iurisconsulti apertius dicere, coniuncto verbis tantum partem vacantem accrescere. Videamus tamen, an hoc dici tantum possit, cum mihi & posthumo aequis partibus relictum est legatum, non cum mihi & Titio: cum enim ei, quem speras aliquando fore, & mihi legas, eum, qui non est, ita velle, videris partem facere, si nascatur: si non nascatur, tum uti ego habeam solidum. Quae cum tua mens sit, nihil nocebit partium expressio. Aliud dicendum videtur, cum mihi & ei, qui neque est, neque futurus speratur a Testatore, legatum relinquitur: partem enim omnino faciet, qui in rerum natura non fuerit, quia nulla hic subesse conditio videatur, ut cum mihi & posthumo legalisti. Quare quod partes divisisti, id fecisse intelligeris, non tam animo in praesentia partes constituendi quam declarandi, quibus partibus nato posthumo legatum habere utrumque velles. Cum igitur partes sub conditione factae sint, conditione non existente, factae non esse intelligentur: eoque uti scribit Caius, *solidum ab initio mibi relictum videtur.* Sed instat idem rursus Pomponius: *Si ita quis haeredes, inquit, instituerit, Titius haeres esto, Caius &*

*Maevius ex aequis partibus haeredes sunt, si quis ex iis decedat, non alteri soli pars accrescit. Accrescit igitur & verbis coniuncto. Sed an tanquam cohaeredi, non tanquam coniuncto? & magis est, ut tanquam cohaeredi accrescat: Idque ex eo intelligi potest, quod pro portione haereditaria accrescit: *Inter cohaeredes enim ius hoc versari, scribit, Vlpianus, neque scriptos tantum, verum etiam legitimos, idque ex sententia Juliani.* Quamobrem autem inter cohaeredes ius hoc sit, causam hanc esse puto, quia nemo praeterea sit, cui vacans pars acquiri possit: cuius rei illud sit argumentum, quod si haeredibus duabus institutis, deducto usufructu, legata Titio sit proprietas, altero ex haeredibus repudiante partem suam, cohaeredi non accrescit, sed ad proprietatem revertitur, quemadmodum scribit Aphricanus lib. v. *Quaeſt.**

[19.] Oppugnat nos postremo Modestinus. *iis verbis scribens, Maevio fundi partem dimidiā, Seio partem dimidiā lego, eundem fundū Titio lego. Si Seius deceſſerit pars eius utrique accrescit.* Quibus ex verbis colligat fortasse quis, multo magis partem Seii pro portione accessuram Titio fuisse, si sic legatum fuisset, *Titio & Seio ex partibus dimidiis fundū do lego.* Quod ipsum nobis argumento erit, non induci ius accrescendi verbi coniunctione: cum & separatim datis partibus accrescere tamen partem collegatariis videamus. Quamobrem autem accrescat, subiicit idem Modestinus, *Quia cum, inquit, separatim & partes fundi & totus fundus legatus sit, necesse est, ut ea pars, quae cessat, pro portione legati cuique eorum, quibus fundus relictus est separatim, accrescat.* Quamobrem autem sit necesse, non facile quis dixerit. Ego idcirco necesse esse, existimo, quia is, cui totus fundus legatus est, haeredi obstat, ne penes eum vacans pars maneat. Rursus quia neque re, neque re & verbo coniunctus cum eo sit, cuius pars cessat, totam eius partem non habebit: accrescit igitur omnibus necessario: accrescit autem pro portione legati, non pro partibus virilibus. Nostram autem sententiam ratione non carere, inde intelligi potest, quia si sic tantum legatum esset, *Maevio dimidiā fundi, Seio dimidiā fundi do lego,* decedente Seio ante diem legati, aut legatum repudiante, penes haeredem ea pars maneret: collegatario non accresceret. Nunc igitur idcirco penes haeredem pars vacans videtur non manere, quia tertio collegatario totus fundus legatus sit. Ut colligi illud recte possit, inter collegatarios neque re, neque re & verbo coniunctos, non esse ius accrescendi, nisi eorum aliquis haeredi obiciatur: obicitur autem is, cui tota res legata est. Quod autem ait Modestinus *Separatim*, sic est accipiendum, non coniunctum: si enim coniunctum Maevio & Seio legetur dimidia, tum coniunctio impedit, ne aut Titio pars Seii accrescat, aut penes haere-

dem relinquatur. Firmum igitur illud maneat, inter coniunctos verbis tantum, non esse ius accrescendi. Hactenus exposuimus, quemadmodum inter coniunctos ius esset accrescendi, inter cohaeredes praeterea, interque collegatarios ius hoc reperiri, ostendimus.

[20.] Quod autem de cohaeredibus diximus, idem in iis accipendum est, quibus ex S. C. Trebelliano restituta haereditas est: *nam & inter hos ius esse accrescendi*, scribit Caius. Sed videamus, quod a Papiniano tractatum scribit iis verbis Vlpianus, *Si quis haeres institutus ex semisse rogatus sit haereditatem restituere, & eam suspeccat dicens compulsus adierit, deinde fideicommissarius natus sit* (sic enim eo loco lego non *ignarus*) *accrevisse portionem haereditatis post restitutionem scripto haeredi, an opus sit ei alia actione.* Et Papinianus dicebat, securum eum esse posse: sed neque opus esse nova restitutione. Accrevisse portionem scripto haeredi ait. ei igitur accrescit & qui invitus adit: sed & ei, cui semis est ex S. C. restitutus: cui alter Semis sine novo ullo iure acquiritur. Duobus ergo pars eadem accrescere potest, alteri ipso iure, alteri re ipsa. Post restitutionem ait: quid si ante restitutionem? tum soli ipsi scripto accresceret: sed is ex S. C. Trebelliano totum assēm fideicommissario haeredi restitueret: neque fideicommissio quicquam esset opus iure accrescendi. *Compulsus*, inquit, *adierit.* Quid si sponte adiit, & post restitutionem alter semis accrevit? & magis est, ut tum soli scripto accreverit. Quid, ut apud eum maneat? minime: sed ut fideicommissario restituantur. Alia igitur tum restitutione erit opus. Ponamus, ante restitutionem accrevisse: tum ex S. C. totum assēm fideicommissario restituet, quemadmodum & is, qui compulsus adiit: in cuius odium receptum esse puto, ut si post restitutionem alter semis accrescat, recta ipsi fideicommissario quoque accrescat: illud ei relictum est, quod adimi scilicet non potuit, ut ei ipso iure vacans pars accrescat.

[21.] Inter haeredem igitur fiduciarium & cohaeredem, inter fideicommissarios haeredes ius hoc reperitur. Quid inter legitimos haeredes? & Vlpianus scribit reperiri. Illud ex Iuliano plus scribit, *Si alter ex legitimis haeredibus repudiasset portionem, cum esset ab eo fideicommissum relictum, cohaeredem eius non esse cogenitum fideicommissum praestare: portionem enim eius ad cohaeredem sine onere pertinere.* Sed post rescriptum Severi, quo fideicommissa ab instituto relicta a substitutis debentur, & hic quasi substitutus cum suo onere consequetur accrescentem partem. Idem in duabus scriptis haeredibus tentari possit, ut si alterius semis gravatus fideicommissio sit, isque partem suam repudiet, alter quasi substitutus cum onere consequatur accrescentem partem, quemadmodum enim legitimi haeredes sunt, quasi invicem substituti, ita

& scripti haeredes *quasi substituti* dici possunt.

[22.] Non solum autem in haereditate ius hoc, de quo scribimus, verum etiam in bonorum possessionibus versatur. Proinde si plures sint, quibus bonorum possessio competit, quorum unus admiserit bonorum possessionem, caeteri non admiserint, vel quod spreverint ius suum, aut tempore bonorum possessionis finito exclusi sint, aut ante mortui quam petierint bonorum possessionem, ei, qui admisit, accrescunt etiam eae portiones, quae caeteris competenter, si petiissent bonorum possessionem.

[23.] Sed videamus, ne si patronus a liberto ex semisse legitimo scriptus eius partis bonorum possessionem admiserit, ei tamen scripti haeredis vacans pars sine nova bonorum possessione non acquiratur. Et Paulus de ea re sic scribit, *Sed cum patrono contra tabulas certae partis bonorum possessionem Praetor polliceatur, scripto autem haeredi secundum tabulas alterius partis, convenit, non esse ius accrescendi.* Igitur non petente scripto haerede secundum tabulas, alterius quoque partis sed nominatim patrono possessionem pollicetur: *cum caeteri, quibus accrescendi ius est, semel debeat agnoscere bonorum possessionem.*

[24.] Verba haec Pauli egent interpretatione. A liberto igitur haeres scriptus patronus erat ex semisse, quem alioquin patrono in liberti bonis lex dat: ex altero semisse Titius: Admisit patronus bonorum possessionem secundum tabulas sui semissis, repudiantis scripti haeredis pars patrono quidem acquiretur, sed non sine nova bonorum possessione: inter eum itaque & scriptum haeredem ius non erit accrescendi: inter quos enim ius hoc reperitur, semel tantum agnoscere debent bonorum possessionem.

[25.] Quamobrem autem non sit accrescendi ius inter patronum haeredem ex sua & legitima parte scriptum, & Titium scriptum haeredem, causa illa esse videtur, quia quem patronus semissim capit, non tam a Testatore quam a lege capit: cuius si ascriptus in testamento non esset, Praetor patrono bonorum possessionem contra tabulas polliceatur. Placuit igitur parti legitimae testamentariam non accrescere. Legitima autem ea pars semper intelligitur, quam lex patrono dat, licet in testamento relicta sit. Cum igitur patrono nihil dare libertus videatur, cum ei legitimam partem ascribit, quomodo Patronus ius habeat accrescendi? Ut non ineleganter dici possit, haeredem a liberto Patronum non fieri, cui libertus nihil nisi quod ipsius erat, reliquit. Quid igitur attinet, ex legitima parte scribi patronum? & dici potest, ad hoc prodesse, ne praeteritus, aut ex minore parte institutus Patronus contra tabulas agere possit, rumpatque liberti testamentum. Videamus igitur, si patronum ex dodrante, Titium ex reliqua parte libertus haeredem scripsit, an patrono Titii vacans pars accrescat. Sed magis est, ut

accrescat tanquam cohaeredi: habet nanque iam aliquid a liberto, neque enim dordantis ei Praetor contra tabulas bonorum possessionem pollicetur.

[26.] Merito igitur quis dubitaverit, an filius ex legitima parte institutus, agnita bonorum possessione eius partis, sine nova bonorum possessione Titii cohaeredis vacantem partem acquirat. & magis est, ut habeat ius accrescendi: pater enim eam filio partem dedit, non lex intelligitur: eaque nisi data sit, non certae partis ut patrono, sed omnium bonorum filio Praetor possessionem pollicetur. Ait igitur Paulus, *Sed cum patrone bonorum possessionem certae partis Praetor polliceatur, &c.* Haec ex superioribus pendent: paulo enim ante scribitur, *si plures essent, quibus bonorum possesso competeret, quorum unus admiserit bonorum possessionem, caeteri non admiserint, ei, qui admiserit, accrescunt etiam eae portiones, quae caeteris competerent, si petissent bonorum possessionem.* Quod in patrono, qui suae ac legitimae partis possessionem accepit secundum tabulas, falsum esse, Paulus notat: legitimae nanque partis possessionem accepit: legitimae quidem, cum Praetor eiusdem partis possessionem contra tabulas ei polliceatur. haeredis autem scripti pars testamentaria est: cuius secundum tabulas duntaxat possessionem scripto haeredi Praetor ostendit. legitimae porro parti, ut supra diximus, testamentaria non accrescit: cum alteram lex det, alteram Testator. Igitur non petente, inquit Paulus, *scripto haerede secundum tabulas, eius pars patrone non accrescit, quanquam suae partis bonorum possessionem secundum tabulas iam admiserit: sed aliam rursus bonorum petet a Praetore possessionem.* Vnde legitimi, ex qua parte Patroni etiam vocantur: *sine qua nova possessione vacantem partem non acquirat: cum caeteris, inter quos accrescendi ius est, satis sit, semel bonorum crevisse possessionem.* Dictum est de coniunctis, dictum de collegatis, dictum de cohaeredibus, de legitimis haeredibus, de bonorum possessoribus.

[27.] Sequitur ut de pluribus dominis, qui per communem servum acquirunt, dicamus: sic enim initio divisimus. Apud Iulianum igitur lib. xxxv. Digest. quaeritur, *si communi servo ususfructus sit relictus & utriusque domino acquisitus, an altero repudiante vel amittente usumfructum alter totum habeat.* & putat, ad alterum pertinere. Idem plus ait, *& si communi servo & separatim Titio ususfructus legatus sit, amissum ab altero ex sociis usumfructum non ad Titium sed ad socium debere pertinere, quasi solum coniunctum.* Nam quandiu vel unus utitur, potest dici usumfructum in suo statu esse. Quid ergo? communio in servo plus possit, quam rei verborumque potentissima illa atque arctissima complexio? Pone enim, communi Servo & Titio coniunctum legatum usumfructum: Semisses in usufructu fient:

alterum feret Titius, Servus alterum: cuius partem si alter dominus repudiet, ad socium tantum pertinebit: generaliter nanque definit Iulianus, *quandiu unus dominorum utitur, usumfructum in suo esse statu.*

[28.] Quonam igitur modo a Paulo dicitur *re & verbis coniunctos caeteris omnino praferri personis?* An id intelligendum est, in parte coniuncti, Servus autem coniunctus cum Titio est, non domini, qui per seryum acquirunt? & magis est, ut Servus & Titius coniuncti sint.

[29.] Sed primum illud Iulianii, *usumfructum servo communi relictum ab altero domino repudiatum aut amissum totum ad alterum pertinere,* quemadmodum defendi possit, videamus. Contra enim illa ratio stat, quod, cum ususfructus dominis pro partibus dominicis non solidus acquiratur, per partes videtur constitutus: ut ius accrescendi inter eos esse non posse, videatur. Nam ut idem Iulianus scribit lib. xxv. Digest. *Si duobus haeredibus institutis, deducto usufructu proprietas legetur, ius accrescendi haeredes non habent: videri enim usumfructum constitutum non concursu divisum.* Sed verius est, id quod idem Iulianus scribit, *personam servi ipsius inspicere oportere, cui totus legatus ususfructus est; de quo auferre nihil debet, quandiu sit, qui per eum utatur fruatur.* Cuius rei argumentum maximum est, quod si die legati cedente Servus liber inveniatur, ipsi totus ususfructus acquiratur. Servi nanque in testamentis personam inspici, Paulus & Papinianus scribunt.

[30.] Sed Celso quemadmodum responderi possit, non facile dixerim, *Proculo nanque placuisse & a patre suo sic accepisse se,* scribit, quod *Servo communi legatum sit, si alter dominorum repudiaret, alteri non accrescere.* Quod enim non nemo fortasse respondeat, illud Iuliani in usufructu, hoc Celsi in proprietate intelligendum, valde est ridiculum: haec tenus nanque refert, legetur ne proprietas an ususfructus servo, quod proprietas acquisita nunquam accrescat, ususfructus vero acquisitus si amittatur, coniuncto tamen vel socio accrescit. Antequam igitur acquisita sit vel proprietas, vel ususfructus, inter usumfructum & proprietatem legatum nihil interest. Nam etsi Servo communi legata sit proprietas, & alter dominorum legatum repudiet, totum ad alterum pertinebit. A Iuliano igitur Proculum cum duobus Celsis reprehensum, non absurde omnino quis crediderit: post eos enim omnes & vixit & scripsit, temporibus videlicet Aelii Hadriani, cuius iussu perpetuum Edictum composuit. Sed ad hanc tamen defensionem nunquam nisi necessario confugerim. Si quid igitur est, quod dici possit, hoc fortasse fuerit, Proculo & duobus Celsis vi sum esse, cum servo communi legatum est, inter dominos ius accrescendi non esse, quod ii proprie habeant, quibus ipsis eadem res legata est aut separativm, aut coniunctivm. Quare cum ipsis

ipsis dominis neque separatim neque coniunctim, sed servo potius, legetur, ius domini non habeant accrescendi. Neque separatim autem neque coniunctim dominis eandem rem legatam ex eo docent, quod si ambo, vindicent, eam quisque legati partem habeat, quam in servo haberet. Si coniuncti autem aut re tantum, aut re & verbo essent, totum uterque vindicaret: & in eo concursu quae fierent partes viriles essent, non dominicae. In summa hoc mihi veteres Iurisconsulti voluisse videntur; Quod repudiata ab altero domino pars alteri acquiratur, id fieri non tam quia ipsi recta accrescat, quam quod servo non decrescat, ex cuius persona legatum consistere certi juris est. Acquiri igitur alteri domino, si quidem partem alter suam repudiaret, itaque amitteret, totum legatum Julianus scribit, tres ii Iurisconsulti iure accrescendi acquiri negaverunt: quin iure potius non decrescendi acquiri significaverunt.

[31.] Illud quidem iuri non decrescendi commune cum accrescendi iuri est, quod post acquisitionem utrumque cessat. Nam quod ususfructus acquisitus ab utroque, tum ab altero domino amissus ad alterum totus pertinet, id non sit per ius non decrescendi (idem enim fieri videmus, si duobus coniunctim ususfructus legatus sit) sed propria quadam ususfructus natura. Quamobrem enim idem in proprietate non continget? Intelligimus, quamobrem & quemadmodum, si quid servo communi legatum sit, alterque repudiet legatum, totum alter acquirat.

[32.] Neque vero solum aut amittente, aut repudiante altero domino partem suam, totum alteri acquiritur, verum & cum alter capere non potest, quemadmodum scribit Vlpianus lib. xxxi. ad Ed. Si servo, inquit, communi legatum alter ex dominis sine libertate reliquit, hoc ad solum socium pertineat, an Pro socio iudicio communicari cum haerede debeat, quaeritur. Et Julianus ait Sex. Paedium lib. vi. referre, Sabinum respondisse non communicari. & posse hanc sententiam defendi, Julianus ait. Idem scribit Paulus sent. recept. lib. iii. Servo, inquit, communi & cum libertate & sine libertate legari potest, totumque legatum socio Testatoris acquiritur. Quae sententia hanc habet rationem, quia cum in haeredis persona legatum non conficitur, filius haeres institutus partem eius legati, quod ab ipso servo communi relictum sit, vindicare non potest: haeredi namque ab haerede legatum videretur: quod valde esset absurdum. Totum igitur legatum eo alter accipiet, quia cedente die legati nemo praeterea sit, qui per servum acquirere legatum possit: haeres namque novus socius nihil propter eam, quam diximus causam, capere ex legato potest.

[33.] Sed quia ususfructus paulo ante mentionem fecimus, videamus ecquid in parte hac iuris habeat singulare. Primum igitur illud, quod Paulus scribit lib. iii. sent. quanquam diversa sunt usus & fructus, si alteri tamen usus, alteri fructus

legatus sit, fructuarius in usu concurrit: quod in fructu usuarius facere non potest. Re igitur coniuncti quodam modo erunt, quibus sic legatum fuerit, Titio usum fundi illius do lego, Seio fructum eiusdem fundi do lego. in eundem nanque usum vocantur. Idem tentari potest in usufructu & proprietate. si enim mihi proprietas, tibi ususfructus legatus sit, in usufructu concurrimus: ita ut ego proprietatem cum ususfructus semisse, tu reliquum ususfructus semissem vindices. Secundum illud erit quod ex Juliani verbis lib. xxxv. Digest. colligitur, Si tibi, inquit, proprietas fundi legata fuerit, mibi autem & Maevio & tibi eiusdem fundi ususfructus, habemus ego & Maevius trientes, & triens unus proprietati miscebitur. sive autem ego, sive Maevius capite minutu fuerimus, triens inter te & alterum nostrum dividetur, ita ut semissem in usufructu habeatis, qui ex nobis capite minutus non fuerit, ad te autem proprietas cum dimidia ususfructus parte pertineat. Ex iis Juliani verbis colligi illud potest, posse coniuncti partem modo aliquo mihi accrescere, quo illi mea non accreverit: legata tibi fundi proprietas est, eius ususfructus mihi, Titio & tibi coniunctim. concursu trientes fiunt in usufructu. Tuus ex quo est cum proprietate consolidatus, si statum mutes, tibi tamen non perit: neque enim iam ususfructus dicitur, cum aliena res non sit: mea autem vel Titii pars alterius nostrum capitinis diminutione pro parte tibi dimidia accrescit, alteri nostrum pro dimidia.

[34.] Neque vero mirum videri debet, proprietati partem totam vacantem non accrescere, durat enim etiam post partium acquisitionem in usufructu vis coniunctionis, quod in proprietate secus est: cui sententiae congruit illud Pauli lib. iii. sentent. recep. cum duobus coniunctim usumfructum do lego, legatum altero mortuo ad alterum in solidum pertinere. Tum igitur demum amissus ususfructus vel morte, vel capitinis diminutione, vel non utendo re soli biennio, re mobili anno, quemadmodum scribit Paulus lib. iii. sent. recep. ad proprietatem revertitur, ubi nulla obstat impeditque coniunctio, propter quam etiam ei, cui proprietas legata fuerat, vacans ususfructus pars accrescebat. Sequitur enim ex Caio lib. vii. ad Ed. provinciale, Et si tradideris alicui proprietatem, deducto usufructu, nihilominus putat Julianus accrescere: nec videri novum tibi acquire usumfructum. Tradita igitur & alienata proprietate, cum tibi adhuc accrescat, non propter proprietatem tibi antea accrescebat, sed ratione potius coniunctionis. Quare cum ego coniunctus quoque sim, triens vacans inter nos aequaliter dividetur: quum si ego coniunctus non essem, totus ad proprietatem reverteretur. Sequitur enim ex Vlpiano, Sed si cui proprietas, deducto usufructu, legata sit, & mibi pars ususfructus, videndum erit, an inter me & haeredem ius accrescendi versetur. & verum est ut, quisquis amiserit,

ferit, ad proprietatem revertatur. Quod eo sit, quia coniunctus is dici non potest, cui ususfructus relictus pars est.

[35.] Sed videamus, an & si non deducto usufructu proprietatem tradiderim, mihi tamen vacans pars accrescat.

[36.] Et Vlpianus lib. vii. ad Edictum, Interdum, inquit, pars ususfructus etiam non habenti partem suam accrescit. Nam si ususfructus duobus fuerit legatus, & alter lite contestata amiserit usumfructum, mox & collegatarius, qui litem contestatus non erat, usumfructum amiserit, partem dimidiam duntaxat, quam amisit, qui litem contestatus est, adversus eum, qui se liti obtulit, a possessore non consequitur: pars enim collegatarii ipsi, non domino proprietatis accrescit: ususfructus enim personae accrescit & si fuerit amissus. Idem in proprietate legata dici posse videatur: quam mihi & Titio legatam coniunctim, si vindicavero, posteaque amiserio in iudicio, partem Titii vacantem ab eo, a quo iudicio vicitus sum, consequar: neque enim Titii pars ei, qui cum Titio a Testatore coniunctus non est, nunquam accreverit. Quod in usufructu dubium idcirco videri poterat, quia sua natura ad proprietatem revertitur: quod ita est, si coniuncta persona nulla sit, cui accrescat: sive habeat, sive amiserit usumfructum; re enim amissa, vix est, ius ut coniunctionis amittatur. Sed ad Vlpiani verba. Si usufructus, inquit, duobus fuerit legatus: coniunctum intelligo, si enim certis partibus, amissa pars ad proprietatem revertetur, uti iam antea ostendimus. & alter, inquit, lite contestata amiserit usumfructum, si enim aliquo eorum trium modorum, quos antea posuimus, amittat, coniuncto accrescat. Usumfructum autem in speciem totum, re vera partem: coniuncti enim partem amittere qui potuit nondum suam? totum porro in speciem, quia totus eum penes erat: totum enim uterque vindicat coniunctus. Mox, inquit, collegatarius, qui iudicio viclus non fuerat, amiserit, hoc est repudiaverit usumfructum, quamquam enim amitti proprie dicatur, quod est acquisitum, repudiari autem delatum, oblatum, tamen qui repudiat, amittit: alioquin quonam modo collegatarius totum in speciem amisit usumfructum, qui totum non habebat? partem, inquit, dimidiam duntaxat, quam amisit, qui litem contestatus est adversus eum, qui se liti obtulit a possessore consequitur. A possessore, hoc est ab eo, penes quem post sententiam totus est ususfructus; nam & fructuarius naturaliter dicitur possidere. Eam duntaxat partem, quam re vera amisit, consequitur. Quid hoc est? consequitur eam partem, quam iudicio amisit? quo iure? an non iudicata res est? Corruptum locum esse puto, desiderarique negationem. Sic igitur lego, Partem dimidiam duntaxat, quam amisit, qui litem contestatus est, a possessore non consequitur. sequitur enim, pars enim collegatarii ipsi accrescit,

non domino proprietatis: cum qua tum demum consolidatur ususfructus, cum persona coniuncta nulla est, cui accrescat. Sed & illud corrupte quoque legi puto, Adversus eum, qui se liti obtulit. scriptum autem fuisse, cui se liti obtulit: reus enim liti se offerre, & iudicium accipere dicitur.

[37.] Postremi in divisione nostra erant proprietarius & fructuarius, inter quos simile aliquid iuri accrescendi reperiri diximus. Quod quale sit, ex iis quae dicta proxime sunt, intelligi potest: consolidatio enim proprie est non accretio, cum ad proprietatem revertitur ususfructus.

[38.] Scribendi hic finem facerem si nobilem illam & vexatam quaestionem, Sit ne inter plures patronos ius accrescendi, tacitus praeterire possem. Vlpianus igitur lib. xxii. ad Edictum, Si duo, inquit, patroni essent, & libertus altero deferente iurasset, se libertum eius non esse, utrum alteri sibi debitae portionis, an vero dimidia debitae ei & suae partis bonorum possessio competet, Julianus quaerit. & ait, si is, cui iuratum est, patronus fuisse, alteri suae partis bonorum possessio nem competitere. Nec ei prodeesse, quod adversus alterum libertus iurasset: multum tamen fidei & autoritatis apud iudicem patronum habiturum, quomagis se solum patronum probaret, cum libertus iurasset, alterum patronum non esse. Locus hic ad ius accrescendi inter patronos vulgo creditur pertinere: mihi aliud iudicium est.

[39.] Illud facile affirmaverim, vix alium Vlpiani locum obscuriorem hoc reperiri: ut quisquis in tantis tenebris offenderit, non indignus venia fuerit. Libertus igitur duos cum haberet patronos: ex iis, qui patronos se volebant, patronum alterum non esse, deferente ipso, iuravit. Is, adversus quem non iuravit, quam partem feret? Si solum se patronum probaverit, totum semissimum, quem lex in libertorum bonis patrono dat. Solum autem se patronum probaverit, si alterum qui iuramento exclusus iam est, patronum fuisse demonstret. Non enim satis est, ut semissimum totum ferat, adversus alterum a liberto iuratum esse. Non enim, si is non sit patronus, nemo continuo praeterea sit: probandum itaque patrono alteri est, solum se patronum esse: alioquin quadrantem tantum feret: alterque quadrans reservabitur ei, qui patronum se esse docuerit. Sed de verbis videamus, Si duo patroni essent: hoc est si libertus vere duos patronos haberet: duos autem patronos habet, qui aut a dominis duobus manumissus est, aut cum ab uno manumissus sit, is relictis liberis duobus deceperit: erunt namque patroni ambo. Et libertus, inquit, iurasset altero deferente, se libertum eius non esse: eoque eius libertus non esset.

[40.] Iuramentum enim personale ius inducit: quia ex Vlpiano lib. xxxiv. ad Edictum res iudicata inducit: in qua tamen minus inesse autoritatis quam in iuramento scribit Paulus lib. xviii. ad Edictum. Julianus, inquit, quaerit, utrum al-

teri, cui iuratum non est, sibi debitae portionis bonorum competitat possessio, hoc est semissis bonorum liberti, cum solus patronus videatur, quia alterum non esse, iuratum sit, an vero competitat bonorum possessio dimidiae partis partis debitae ei, hoc est dimidiae partis partis suae & legitimae, quadrantis nempe, ac si duo patroni essent. Et Julianus, inquit, ait, si is, cui iuratum est, patronus fuisset, hoc est, si eum, cui iuratum est, patronum fuisse probet, is, cui iuratum non est, suae & legitimae partis possessionem accipiet: Excluso nanque eo, qui solus concurrere poterat, totus semis huic scilicet debetur. Neque ei, inquit, prodeesse quod adversus alterum libertus iurasset: hoc est, neque sufficere, ut totum auferat semissem, quasi solus patronus, quia adversus alterum iuratum sit, non enim, si patronus ille non est, nemo praeterea aliis est. Doceat igitur necesse est illum, cui iuratum est, patronum fuisse. Nihil, uti in principio posui, lex haec ad ius accrescendi: sed sententiam titulo iuris iurandi, sub quo ponitur, congruentem hanc habet: Qui duos patronos habet & alterius iurat se libertum non esse, non confitetur utique, alterum solum esse patronum. De iure tamen accrescendi si quis quaerat, sit ne inter plures patronos, respondeam non esse: quia a lege non a Testatore in eandem partem coniunguntur. Ius autem hoc a Testatore proficiscitur. Tum vero ius non est usque ad certam partem, sed in infinitum: at patrono ex alterius patroni parte tantum accedit quantum illi deest ad legitimam.

[41.] Haec fere, ANDREA frater, de iure accrescendi habui, quae scriberem. Duo autem reprehensorum genera nostris laboribus opponuntur: aliis, quod sine duce BARTOLO scribam non placet, cum quo errare etiam honeste possem: praepropere alii & praefestinate scribere aiunt hominem in hoc studio nondum senem. Vtrisque semel respondendum est, amice tamen: benevoli enim sunt obiurgatores. Primum igitur, nemo unquam suo odio efficiet, a me ut BARTOLVS vituperetur, summo uti audio, credoque (nihil enim dum eius attigi) vir ingenio. Alunde mihi iucundior laus fuerit, quam ex eorum insectatione, qui si nihil aliud, publice prodeesse studuerunt. BARTOLI itaque gloriae, gratiae, nihil obsto, nihil detraho, augere etiam, si possim, cupiam: sed hoc dico, quod & aequissimis BARTOLI manibus dictum velim, certiores esse melioresque haud paulo, quam BARTOLVS, in iure Pop. Rom. duces, veteres Iurisconsultos. At nisi praeculente BARTOLO sequi eos nemo possit. Id qui existimat, nihil aliud quam de ingenii sui imbecillitate confitetur. Annis amplius sexcentis sine BARTOLO atque adeo sine interprete ius fuit: tot enim a IVSTINIANO ad LOTHARIVM SAXONEM numerantur: quo Imperante vixit in Italia IRNEIUS, iuris Interpres vetustissimus. Quin Imperator ipse, si intelligi sine BARTOLO ius non potest, quid est, quod Pandectis adhiberi prohibet

commentarios? Quid ergo dicat aliquis, tu interpres condemnas? minime equidem: nam & ipse ad interpretandum ius pro parte mea virili incubui, & bonis interpretibus magnam habendam gratiam censeo: sed hoc dico, si quis manibus non illotis, ut aiunt, ius tractet, si diligenter tractet, non multum desideraturum eum aut meos, aut BARTOLI (ut parva cum magnis componam) commentarios. Haec denique orationis meae summa est, posse hominem aliquo ingenio, industria aliqua, aliqua Latinarum, Graecarumque literarum intelligentia, veteris memoriae Populi Romani non ignarum, in Dialecticis exercitatum, ob quam unam artem longe & aequalibus & iis qui ante ipsum fuerant, Iurisconsultis praestitit SERVIVS SVLPITIUS, Philosophiae demum non insolentem ac rudem, cui LABEO ANTISTIVS quia egregie operam dererat, multa in iure innovavit, posse, inquam, eum, in quo haec sint, per se in scientia hac aliquid consequi non vulgare: in quo haec non sint: sed non insepar longius. Neque id tamen sic accipi velim, quasi haec in me sint: dicerem esse, si ita sentirem, neque in veritate arrogantiae crimen extimescendum putarem. Reliqua facilis responsio est. Non consenui in iure civili: ne vellem quidem. Operam tamen annos serme tres Lugduni dedi AEMYLIO FERRETTI, parenti alteri meo, Iurisconsultorum memoriae nostrae facile principi: cum ille & respondendo, & monendo, & aliquid interdum veluti paelegendo, satisfaceret studio nostro civilis disciplinae. Neque ex eo tempore (annus autem hic est septimus) a libris Iurisconsultorum longius unquam oculos dimovimus. Nam id omne tempus, quo Tolosae fuimus tanta in studio assiduitate, tantaque contentione usi sumus, ut maiore non potuerimus. Quae ut ita non sint, imperite tamen faciunt, qui de scriptis nostris iudicaturi, quam multos annos in hoc studio consumperimus, querendum censem: quid enim aliud quaerant ii, quorum de re iudicium nullum est? Tum vero ars haec neque ita facilis est, ut simul aspici cognoscique possit, neque ita difficilis, ut cognoscenda, quatenus est populo necessaria, vix aetas sufficiat. Posita omnia sunt ante oculos, posita in usu cotidiano communique hominum vita, in foro ac iudiciis agitata, neque ita multis aut difficilibus literis continentur. Nos floribus austros Perditi, & in liquidos fontes immisimus aplos: nostro vitio in solo tam culto, tam miti Pro molli viola, pro purpureo narciso Carduus, & spinis crevit paliurus acutis, ut est apud Poëtam. Qv. MVTIVS SCAEVOLA, idem Pontifex, idem iuris peritissimus, nullius sibi artis faciliorem cognitionem videri, dicere solebat. NERVAM filium de iure respondisse adolescentem admodum, memoriae proditum est: & ut scribendi finem faciam, vetus, frater, est, & ut mihi videtur, verum, nisi quod cito quisque potuerit, nunquam omnino posse perdiscere. Vale. A N-

ANTONII GOVEANI

IVRE CONSULTI,

IVRE ACCRESCENDI

LIBER

[REPETITAE PRAELECTIONIS.]

ANTONIVS GOVEANVS
ANDREAE GOVEANO
FRATRI S.

VM multae res in iure civili nequaquam satis adhuc explicatae sint, tum perobscura, ANDREA frater, quaestio est DE IVRE ACCRESCENDI. De qua literis tam variae proditae sunt, tamque discrepantes sententiae, ut non leve operae pretium facturum me existimaverim, si de re tam incerta certi aliquid afferre possem. Studiose itaque Pandectarum locis iis, qui quaestionis huius proprii videbantur, conquisitis, nostroque adhibito ordine, illud efficere conati sumus, ne qua magna in parte hac iuris superesset dubitatio. Quicquid autem est, quod effecimus, tibi damus, dicamusque natura atque animo fratri, beneficiis parenti. Vale. Tolosae. Id. Aug. An. a Christo nato M. D. XLIX.

ANTONII GOVEANI
IVRE CONSULTI,
DE
IVRE ACCRESCENDI LIBER
[REPETITAE PRAELECTIONIS.]

S V M M A R I V M.

1. *Ius accrescendi comparatur alluvioni.*
2. *Ius accrescendi interdum reale, interdum personale.*
3. *Libri huius dispositio.*
4. *Coniunctionum tria genera.*
5. 1. *Re & verbo coniuncti.*
6. *In parte coniuncti caeteris anteferuntur.*
7. *Re & verbo coniuncti ab initio partes faciunt, at re coniuncti concursu.*
8. *Limitatio praecedentium.*
9. 2. *Re coniuncti; hi Imp. disiuncti dicuntur.*
10. *Re coniunctus in parte coniuncti potior non est.*
11. *Olim re in eadem duobus legata per damnationem non fiebat concursus.*
12. *Notatur ACCVRSIUS.*
13. *Vera sententia l. Re coniuncti.*
14. 3. *Verbis coniuncti. Et inter hoc ius accrescendi locum non habet.*
15. *Contrariis respondetur.*
16. *Inter coheredes ius accrescendi reperitur.*
17. *Coheredi vacans pars cum onere accrescit.*
18. *Cur inter coheredes, quibus proprietas, deducto usufructu legata, in usufructu ius accrescendi non sit.*
19. *Coniunctio inter coheredes praelationem inducit ratione haereditatis.*
20. *Non ratione rei.*
21. *Substitutus coniuncto praefertur.*
22. *Non solum inter heredes testamentarios ius accrescendi reperitur, sed & inter legitimos.*
23. *Etiam inter bonorum possessores.*
24. *Et in querela inofficiosi testamenti.*
25. *Inter legatarios ratione coniunctionis quoque ius accrescendi est.*
26. *Coniunctio rei & verbi, item rei tantum inducit ius accrescendi, sed non coniunctio verbi.*
27. *Quando inter plures dominos ius accrescendi reperiatur.*
28. *Ius ususfructus individuum.*
29. *Quid ususfructus a proprietate in iure accrescendi differat.*
30. *An in specie l. si duo de iureiurando. reperiatur ius accrescendi.*
31. *Excusat se autor quare interdum a BARTOLO recedat.*
32. *Et cur ipse non senex in studio iuris scribat.*



[1.] vod per alluvionem accedit, accrescere dicitur. l. insula. 56. l. ergo. 30. de acquirend. rer. domin. Itaque alluvioni comparatur ius accrescendi l. si Titio. 33. de usufruct. Neque id abs re, nam ut alluvio tacitum, latensque est augmentum, ita quod accrescit, tacite, latenter, ipsoque iure accedit: hoc est, sine novo ullo facto nostro. l. 6. cum patrono de bono. poss. Vnde sit, ut minore, qui haereditatem adierat, restituto, ei datus cohaeres possit accrescentem minoris partem acquirere. l. si minor. 61. De acqui. haered. Substituto autem vulgari locus non sit post aditam a minore haereditatem, quamvis postea restituto. l. post aditam. 5. C. de impub.

Excepto servo haerede necessario. l. & si sine. 7. §. sed quod Papinianus. 10. de minoribus. De quo plura scripsimus in commentario de Substitutionibus.

[2.] Ius autem hoc accrescendi *reale* interdum est, interdum *personale*. Personale in usufructu. l. interdum 10. de usufruct. accrescend. l. si Titio 33. de usufruct. l. & an eadem 14. de excep. rei. iudic. De quo plura suo loco. Quod autem Iureconsulti accrescere dicunt, interdum Imperator dicit non decrescere. §. ubi autem II. C. de caduc. tollend. Quod ius in coniunctis duntaxat re versatur.

[3.] Reperitur autem ius hoc inter coniunctos, cohaeredes tam testamentarios, quam legitimos, bonorum possessores, eos, qui querela inofficiosi agunt, legatarios, plures dominos, quorum

quorum servo ususfructus legatur: de quibus omnibus eo, quo proposuimus, ordine dicemus. Dicemus autem ad modum.

[4.] Primo igitur de *coniunctis*, & coniunctionum tria genera facit Iureconsultus in *I. triplici 142. de verbis. signif. l. re coniuncti 89. de legat. tertio.* Rei & verbi, rei tantum, & verbi tantum.

[5.] Re & verbo coniuncti sunt, quibus ita legatur, **TITIO ET MAEVIO FVNDVM SEMPRONIANVM DO LEGO.** Re tantum, quibus ita legatur, **TITIO FVNDVM SEMPRONIANVM DO LEGO, EVNDEM FVNDVM SEMPRONIO DO LEGO.** Verbis tantum, quibus sic legatur, **TITIO ET MAEVIO FVN- DVM SEMPRONIANVM AEQVIS PARTIBVS DO LEGO.** Re & verbo coniuncti eiusdem personae vice funguntur. *l. plane 34. de legat. i. §. ubi autem ii. de cadu. tollen.*

[6.] Itaque in parte coniuncti caeteris anteruntur. Neque obstat, quod partes ab initio faciunt *l. plane 34. §. si coniuncti. 9. de legat. i.* Qui enim partes faciunt ab initio, partes non habent. Ut autem ius accrescendi excludatur, necesse est, partes habere ab initio legatarios, ut habent, qui verbis duntaxat coniuncti sunt. *l. re coniuncti. 89. de leg. iii.*

[7.] Facere autem ab initio partes eo dicuntur, qui re & verbo coniuncti sunt, quia pro parte ab utroque legatum vindicatur: re autem duntaxat coniunctis solida res singulis legatur, partesque non ab initio faciunt, sed concursu, hoc est, utroque solidum vindicante legatario. *l. coniunctim. 80. de leg. iii. l. plane 34. §. si coniunctim. 9. de leg. primo.* Et quia partes ab initio faciunt re & verbo coniuncti, ideo quod coniuncto accrescit, cum onere accrescit. *§. ubi autem ii. de cadu. toll.* Et qui partem non capit, partem facit. *§. si coniunctim. iam citato. l. huiusmodi. 84. §. si Titio. 8. de legat. i. l. si duobus 16. eod. titul.* Nisi cum vel ei, qui in rerum natura non erat tempore testamenti, & Titio legas. *§. in primo. 3. de cadu. tollen.* Vel Titio & ei, quem solum haeredem scripsisti. *l. plane 34. §. si duobus 11. de legat. primo.* Illud enim legatum pro non scripto habetur, quod ei, qui in rerum natura esse desiit, relinquitur. Hoc autem inutile prorsus est, cum eundem haeredem & legatarium esse, iuris ratio non permittat. Servo autem tuo si leges, evenire potest, ut utile legatum fiat. potest enim, cedente die legati, servus liber reperiri. Item si mihi rem meam leges, resque, legati die cedente, mea non sit: utile fit legatum. Ut autem mihi a me legetur utiliter, id vero evenire nullo modo potest. Cum igitur tibi, & ei, qui in rerum natura esse desiit, aut tibi & haeredi rem eandem lego, partes non fiunt ab initio. Itaque tu solidum legatum aufers.

[8.] In omnibus autem aliis speciebus con-

juncti re & verbis partes faciunt ab initio non concursu, exceptis his, qui in usufructu coniunguntur: qui nisi concursu partes non faciunt. *l. 1. §. ulti. de usufruct. accresc.* Idque propter propriam quandum usufructus naturam: de qua infra dicemus. Propter quam illud quoque evenit in usufructu, ut nisi partes concursu fiant, iuri accrescendi in eo locus non sit. *l. idem NERATIUS 3.* (sic enim legendum est, non INDE NERATIUS) *de usufruct. accresc.* Et haec de primo genere coniunctionum.

[9.] Re autem coniunctus (quem *disiunctum* Imper. appellat. *§. bis ita 10. & §. ubi autem. ii. de caduc. tollend.* Et Iureconsult. in *l. prima. §. interdum. 3. de usufruct. accresc.* locisque aliis compluribus) in parte re coniuncti potior non est, in *l. re coniuncti. 89. de leg. iii.* Nam si idem fundus duobus coniunctim legetur, & duabus rursum separatim, hoc modo **TITIO ET MAEVIO FVNDVM SEMPRONIANVM DO LEGO, EVNDEM FVNDVM CAIO LEGO, EVNDEM FVNDVM LVCIO LEGO.** Si Lucius legatum repudiet, non Caio solum, verum & Titio & Maevio accrescit. Quibus omnibus eadem res sine partibus legata est, fiuntque trientes in parte Lucii.

[10.] Quamvis autem potior non sit re coniunctus in parte coniuncti, his, quibus eadem res legata est coniunctim, ius tamen accrescendi in hac rei duntaxat coniunctione locum habet. Et quidem sine onere in legatis. *§. ubi autem. ii. de caduc. tollen.* Et quia concursu duntaxat non ab initio partes faciunt disiuncti, non concurrente legatario, alterius legatum non tam augeri videtur, quam non diminui: ideoque ius hoc non decrescendi vocat Imper. *§. ubi autem. de caduc. toll.*

[11.] Qui concursus olim non fiebat, cum res eadem duobus per damnationem legabatur. Tum enim alter rem, alter aestimationem auferebat, uti Caius testatur *lib. ii. Institut. de lega.* De quo legati genere intelligenda verba ea sunt Imperatoris in *§. ubi autem IN VNO TANTVM-MODO GENERE LEGATI EAM ACCIPIENS.*

[12.] Quem locum male **ACCVRSIVS de legato vindicationis intellexit.** Quam legatorum differentiam eo loco, quem citavimus, Imp. sustulit. Itaque hodie quounque modo res eadem separatim legatur, partes concursu fiunt, nisi constet de contraria mente testatoris. *l. si pluribus. 33. de leg. primo.* Neque vero existimandum est, solos hos dici coniunctos, qui concursu partes faciunt, quibusque singulis solida res relinquitur. Nam quod Iureconsultus scribit in *l. coniunctim. 80. de leg. tertio, Coniunctim legari, esse rem solidam singulis relinquiri, & inter eos concursu partes fieri, non sic est accipendum, quasi soli coniuncti sint, qui re duntaxat coniunguntur, de quibus Iureconsultum loqui, constat: sed ut hi etiam coniuncti dicantur, qui ta-*

mea

men proprie *disiuncti* videntur, & dicuntur.

[13.] Porro autem si eadem res duobus separatim legetur, & eadem res aliis rursum duobus per partes hoc modo, PRIMO FVNDVM SEMPRONIANVM DO LEGO, SECUNDO EVNDEM FVNDVM DO LEGO, TERTIO ET QVARTO EVNDEM FVNDVM AEQVIS PARTIB. DO LEGO. quaestio ait esse Iureconsult. in *l. re coniuncti*. 89. an ad partem primi deficientem Tertius & Quartus una cum Secundo admittantur: & respondit, Secundum duntaxat admitti. Causa illa esse videtur, quod quibus res pro parte legatur, ad portiones eorum, quibus sine partibus res eadem legatur, admitti non debet. & haec sententia est legis *Re coniuncti*. Quod aliter se habet in haereditatibus, quemadmodum mox dicemus [aliter tamen & forte rectius] GOVEANVS noster hanc legem exposuit. Lib. 1. Animadu. ad Leg. 89. *re coniuncti*. D. de Legat. III.]

[14.] Tertium & postremum coniunctionis genus, cum per partes pluribus res eadem relinquuntur, qui cum partes neque ab initio, neque concursu faciant, sed habeant semper a testatore constitutas, *l. re coniuncti*. 89. iure accrescendi non utantur. Qui enim ita scribit, TITIO ET MAEVIO, vel, TITIO CVM MAEVIO, vel, TITIO MAEVIOQVE FVNDVM AEQ. PARTIB. DO LEGO: non tam coniungere videtur, quam dicere celeriter velle. *l. si ita quis haeredes* 14. *de haer. instit.* Ius autem accrescendi, inter eos, qui ita coniunguntur, non esse, scribit Iureconsult. in *l. cum singulis* II. *de usufruct. accresc.* CVM SINGVLIS AB HAEREDIB. SINGVLIS EIVSDEM REI VSUSFRVCTVS LEGATVR, FRVCTVARII SEPARATI VIDENTVR NON MINVS, QVAM SI AEQVIS PORTIONIB. DVABVS EIVSDEM REI FRVCTVS LEGATVS FVISSET. VNDE FIT, VT INTER EOS IUS ACCRESCENDI NON SIT. Adiuuat hanc sententiam Imperator in *§. si eadem res* 8. *de legatis*. ubi inter coniunctos re & verbo, & coniunctos item re duntaxat, ius accrescendi versari, docet. De coniunctis verbo non idem scribit. Neque obstat *l. si duobus* 16. *§. si Titio & postbumo* 2. *de leg. primo*.

[15.] Quod enim inter Titium & posthumum, quibus aequis partibus res legatur, ius accrescendi versatur: ea ratione fit, legati posthumo relieti dies non cedit, nisi nato demum posthumo, quemadmodum, si quid ei, qui apud hostes est, legetur: cuius legati dies ante reversionem non cedit. Item, si quid servo suo data libertate leget testator. Neque enim legati huius ante haeredis aditionem dies cedit. de quo scripsimus ad *legem primam*. *§. sed & si servo*. 4. *Ad leg. Falcidiam*. Non obstat praeterea *l. Maevio dimidiā* 41. *de leg. II.* ubi non coniunctio verbi ius accrescendi inducit, sed ipsius Iureconsulti ratio. QVIA, ait, CVM SEPARA-

TIM ET PARTES FVNDI ET TOTVS FVNDS LEGATVS SIT, NECESSE EST, VT EA PARS, QVAE CESSAT, PRO PORTIONE LEGATI CVIQVE EORVM, QVIB. FVNDVS SEPARATIM LEGATVS EST, ACCRESCAT. Haec Modestinus. Eo autem cessans portio Seii penes haeredem non relinquitur, quia Titius, cui totus fundus legatus est, haeredi obstat, & obiicitur. Sed cum is trientem duntaxat ferat, Seii portio pro eadem parte ei accrescat, aequaque partibus inter Maevium & Titium Seii pars dividetur. Non obstat postremo *l. re coniuncti*. 89. cuius (ut iam diximus) illa sententia est, eos, quibus eadem res per partes legatur, ad portiones eorum non admitti, quibus eadem res sine partibus legatur. Nam quod Imperator scribit in *§. his ita. 10. de caduc. tollend.* Verbis coniunctos propter unitatem sermonis in unum quasi corpus videri redactos, accipendum est, ubi coniunctio verbi ad rei coniunctionem accedit. Et haec *de coniunctis* sufficient.

[16.] Sequitur, *de cohaeredibus* videamus: inter quos ius accrescendi necessario reperitur, cum sit absurdum, eiusdem haereditatis partem agnoscere, partem respuere. Si quis ergo ita scribat, TITIVM MAEVIVM AEQVIS PARTIB. HAEREDES INSTITVO. ius inter eos erit accrescendi, non propter verbi coniunctionem, & orationis celeritatem, sed propter eam, quam diximus, causam. Vnde fit, ut nolenti Titio & invito portio Maevii accrescat. *§. his ita. 10. de caduc. tollend.* Cum legatarii cessantes portiones inviti non agnoscant. *§. ubi autem II. de caduc. tollend.* Nihil enim absurde fit, cum penes haeredem hae portiones relinquantur.

[17.] Accrescit autem cohaeredi vacans pars cum suo onere. *§. his ita. cit. l. si Titio*. 61. *§. Julianus* 1. *de leg. II.* Neque obstat *l. si duobus*. 2. *quib. mod. ususfr. amitt.* ubi duobus haeredibus institutis, proprietate deducto usufructu legata, inter cohaeredes negat Iureconsultus, esse ius accrescendi in usufructu.

[18.] Ideo nanque ius accrescendi inter cohaeredes in hoc usufructu esse non potest, quia per partes videtur constitutus; cum ex proprietatis parte, quam quisque praestat haeres, usumfructum deducat. Quare si contingat, cohaerendem partem suam repudiare, pars ususfructus vacans cum proprietate consolidabitur. Id ergo speciale est in usufructu propter propriam quandam ususfructus naturam, de qua paulo post dicemus.

[19.] Quamvis autem inter cohaeredes ius hoc sit accrescendi ratione haereditatis, tamen inter eos coniunctio praelationem inducit: ut, si duos in semisse coniungas in parte coniuncti, coniunctus reliquis praefertur cohaeredibus. Quod tum demum fit, cum portio, in qua coniuncti sunt, expressa est: si enim ita instituas,

TITIVS ET MAEVIVS EX VNDECIM VNCIIS

HAEREDES SVNTO, CAIVS ET SEIVS HAE-
REDES SVNTO: inter Caium & Seium ius non
erit praelationis, sed vacans Caii semuncia om-
nibus cohaeredibus debetur. Nam quod ad ius
accrescendi attinet, coniuncti non sunt, qui sine
portione instituuntur, idque ita Servio visum est.
I. item quod Sabinus 17. de haeredib. institut. Id
autem intelligendum est, relicta per partes hae-
reditate: nam si sine partibus haeredes instituan-
tur hoc modo, TITIVS ET MAEVIVS HAE-
REDES SVNTO, SEIVS HAERES ESTO, LV-
CIVS HAERES ESTO. Titius & Maevius iure
praelationis utuntur in portione coniuncti. *I. haer-
edes sine partibus 63. de haeredib. institut.* in *I.*
autem, *Item quod Sabinus*, Titio & Maevio in
undecim uncias coniunctim institutis, Caius &
Lucius sine parte coniunguntur.

[20.] Sane rei coniunctio nullam praelatio-
nen inducit in haereditatibus. Nam ad partes
eorum, qui separatim haeredes instituuntur sine
partibus, omnes cohaeredes admittuntur. *I. haer-
edes sine partibus 63. de haeredib. institut.* Quod in legatis se-
cūs esse diximus. Verbi item coniunctio ut in le-
gatis, ita in haereditatibus nullam inducit praela-
tionem. *I. si ita quis haeredes 14. de haeredib. institut.*
Quod autem diximus, coniunctione induci praela-
tionem, accipendum est inter ipsos cohaeredes.

[21.] Nam substitutus quin coniuncto prae-
feratur, nulla dubitatio est. *I. aequivissimum 2. §.
si duo. 8. de bono. possess. secun. tab.* Causa illa
est, quod voluntate testatoris utitur substitutus,
coniunctus autem lege, quae minus potest, ac
pollet.

[22.] Neque solum inter haeredes testamen-
tarios ius accrescendi reperitur, verum & inter
legitimos. *I. si Titio 61. §. Julianus. I. de leg. II.*
Itaque si alter ex legitimis haeredibus portionem
repudiet, alteri accrescit: & olim quidem sine
onere, sed post rescriptum Severi, quo legata
& fideicomissa ab instituto relicta debentur a
substituto, cohaeres tanquam substitutus conse-
quietur cum onere accrescentem partem. Neque
sane modica est inter cohaeredem & substitutum
adfinitas, cum uterque vocetur ad vacantem
partem eodem casu, si institutus, vel cohaeres
haeres non sit. Neque obstat *I. I. §. ulti. de leg.*
III. nam eo loco non de cohaerede loquitur Iu-
reconsult. sed de secundo gradu haeredum, quem
debere negat a primo gradu relicta. (Inter plu-
res fideicommissarios ius accrescendi non versa-
tur, remanetque vacans portio apud haeredem,
nisi invicem sint substituti. *I. Scaevola 76. ad
Treb.* De quo ad eum locum plene scripsimus.
Inter eum quoque, cui alter ex haeredibus ro-
gatus est haereditatis partem restituere & cohae-
redem, ius accrescendi non reperitur: accrescit
que vacans portio ei, qui portionem suam resti-
tuit. Neque enim haeres esse desiit: adeo, ut si
coactus adierit, qui restituit, accrescentis portio-
nis nova restitutione opus sit. Sic enim & le-

genda & intelligenda est *I. Papinianus 43. Ad
Trebell.* uti ad eum locum scripsimus.)

[23.] Quemadmodum autem inter haeredes,
ita & inter bonorum possessores ius hoc reperitur
accrescendi. *I. unica. quando non peten. part. pe-
ten. accresc. I. III. §. ultim. de bonor. poss.* Proin-
de, si plures sint, quibus bonorum possessio com-
petit, quorum unus admiserit bonorum posses-
sionem, caeteri non admiserint, vel quod spre-
verint ius suum, aut quod tempore bonorum
possessionis exclusi sint, aut ante mortui sint,
quam petierint bonorum possessionem, ei, qui
admisit, accrescut etiam hae portiones, quae
caeteris competenter, si bonorum possessionem
petiissent. Atque ita accrescant, ut novam
earum portionum possessionem accipere nihil sit
necessē. Vnde fit, ut patrono a liberto praete-
rito, qui contra tabulas suae partis bonorum
possessionem accepit, necessaria sit nova bono-
rum possessio unde legitimi, videlicet repudian-
te haerede instituto: quia in eodem genere pos-
sessionis ius accrescendi reperitur. *I. sed cum pa-
tronō 6. de bonor. possess. 6. de bonor. possess. 6.* Et haec de hae-
reditatibus & bonorum possessionibus.

[24.] Quin & in Querela testamenti inofficio-
si, quia haereditas evincitur, ius accrescendi
reperitur. *I. cum ponas 23. §. ulti. de inoffic. testa.*
Proinde si duo fratres egerint, & alter desiterit,
alteri eius portio accrescit. Quod accrescendi
ius in querela non reperiretur, si querela dun-
taxat testamentum expugnaretur, non etiam
evinceretur haereditas. De quo plura scripsi-
mus *lib. primo Lectionum Variarum.* Cum igitur
petitio haereditatis querela sit, & cui ea com-
petit nulla alia ad haereditatem pervenire via
possit: qui ab ea desistit, haereditati videtur
renuntiare. Itaque ei, qui in lite perseveravit,
eius portio iure accrescit.

[25.] Sequitur de Legatariis: inter quos ius
non est accrescendi, nisi ratione coniunctionis.
Nec enim absurdum est, legati partem agnosce-
re, & partem repudiare: cum vacans pars penes
haeredem relinqui possit. Itaque si Titio &
Maevio aequis partibus fundum relinquas, va-
cantem Titii partem Maevius non consequetur,
sed penes haeredem, uti iam dictum est, ea
portio remanebit: nisi in casu *I. Maevio 41. de
legat. II. & I. si duobus 16. §. si Titio 2. de legat. I.*
de quibus iam diximus.

[26.] Sane verbi & rei coniunctio ius indu-
cit accrescendi: quin & rei tantum. *§. si eadem
res. 8. De legatis, libro secundo Instit.* Sola
verbi coniunctio neque in legatis, neque in hae-
reditatibus ius inducit accrescendi.

[27.] Supereft de pluribus dominis dicamus,
quorum servo communi si legetur ususfructus,
ius inter dominos accrescendi versatur. *I. I. §. I.
de usufruct. accrescendo.* Si autem proprietas le-
getur, quasi ipsis dominis pro partibus, quas in
servo habent, proprietas legata sit, ita inter
eos

eos ius non est accrescendi. *l. & Proculo 20. de leg. secundo.* In usufructu autem legato ipsius servi persona spectatur; propter individuam usufructus naturam.

[28.] Cum enim ius sit usufructus, individuum esse constat: & si ratione ipsorum fructuum divisionem recipere dicatur. *l. 1. §. si usufructus 9. Ad leg. Falcid.*

[29.] Et quoniam proprietatis & usufructus mentionem fecimus, videndum est, quid usufructus a proprietate differat in iure accrescendi? Et prima illa differentia sit, quia servo communii legata proprietate, inter dominos non est ius accrescendi. De quo iam diximus. Secunda, quod proprietas acquisita ius accrescendi non admittit: usufructus & constitutus, & postea amissus, nihilominus accrescendi ius recipit. Quandocunque enim non invenio, qui mecum utatur fruatur, solus utar fruar in solidum. Neque refert, legatus nobis coniunctim sit, an separatim. *l. 1. §. ulti de usufruct. accresc.* Tertia differentia, quod in usufructu, nisi concursu partes fiant, ius non est accrescendi, *l. idem Neri- tius putat. 3. de usufruct. accrescendo.* Quarta, quod usufructus personae, non rei, accrescit. *l. si Titium 33. de usufruct. l. interdum 10. de usufruct. accresc. l. & an eandem 14. de except. rei iudic.* Piores tres differentiae ex illa causa manant, quod usufructus sua naturâ individuus est, ex fruendoque consistit, hoc est, ex facto aliquo. *l. unic.* *Quando dies usufruct. leg. ced.* In quo nisi uterque dominorum concurrat, alter in solidum utetur fruetur. Idem dicendum de legatariis, quibus vel coniunctim vel separatim legatus usufructus est, qui nisi in facto fruendi concurrent, alter in solidum fruetur: neque refert, amiseritne, an repudiaverit usumfructum. Qui enim non invenit, qui sècum utatur fruatur, in solidum fruetur. Quarta differentia illam causam habet, quod usufructus ius est personale: & ex persona eius, cui debetur, spectatur. Quae una differentia est inter usumfructum servi & operas servi, quae ex ipso servo spectantur, qui eas praestat: ut reale quoddam ius operaे videantur. Cum tamen ab usufructu servi operaе re ipsa non differant.

[30.] Et, ut scribendi finem faciamus, in specie, quam refert Vlpianus, *l. si duo patroni 13. de iureiuran.* iusne accrescendi sit, quaeritur. Et dicendum est, non esse: Si enim patronus erat is, cui libertus iuravit, patronum eum non esse, portio, quam is in liberti bonis habebat, non ipso iure, sed ope duntaxat exceptionis deficit, quae nascitur ex iuramento, quod nisi ei, qui iuravit, vel eius haeredi, prodesse non debet. Itaque adversus haeredem liberti, alter patronus non solidae partis patrono debitae bonorum possessionem contra tab. sed dimidia duntaxat petit, ac si duo patroni essent. Quod si patronus non erat is, cui libertus iuravit, alte-

rius patroni portio non augetur, sed eam partem in bonis liberti habet, quam ei lex dat. Sane hoc necesse est, probet coram iudice, illum patronum non suisse, adversus quem iuratum est. In quo iudicio iuriandum liberti plurimum iudicem movebit.

M
Haec fere, ANDREA frater, de iure Accrescendi habui, quae scriberem. Duo autem reprehensorum genera nostris laboribus opponuntur: aliis, quod sine duce BARTOLO scribam, non placet, cum quo errare etiam honeste possim: praepopere alii & praefestinate scribere, aiunt, hominem in hoc studio nondum senem. Vtrisque semel respondendum est, amice tamen: benevoli enim sunt obiurgatores.

[31.] Primum igitur, nemo unquam suo odio efficiet, a me ut BARTOLVS vitupetur, summo, ut audio, credoque, vir ingenio. Aliunde mihi iucundior laus fuerit, quam ex eorum insectatione, qui, si nihil aliud, publice prodesse studuerunt. BARTOLI itaque gloriae, gratiae, nihil obsto, nihil detraho, augere etiam, si possim, cupiam: sed hoc dico, quod & aequissimis BARTOLI Manibus dictum velim, certiores esse, melioresque haud paulo quam BARTOLVM in iure Populi Romani duces, veteres Iureconsultos. At nisi praelucente BARTOLO sequi eos nemo possit, id qui existimat, nihil aliud, quam de ingenii sui imbecillitate, confitetur. Annis amplius sexcentis sine BARTOLO, atque adeo sine Interpretate ius fuit: tot enim a IVSTINIANO ad LOTHARIUM SAXONEM numerantur: quo imperante vixit in Italia IRNERIUS, iuris Interpres vetustissimus. Quin Imperator ipse, si intelligi sine BARTOLO ius non potest, quid est, quod Pandectis adhiberi prohibet commentarios? Quid ergo, dicat aliquis, tu Interpretes condemnas? minime equidem: nam & ipse ad interpretandum ius pro parte mea virili incubui, & bonis Interpretibus magnam habendam gratiam censeo: sed hoc dico, si quis manibus non illotis, ut aiunt, ius tractet, si diligenter tractet, non multum desideraturum eum, aut meos, aut BARTOLI (ut parva cum magnis conferam) commentarios. Haec denique orationis meae summa est: posse hominem aliquo ingenio, industria aliqua, aliqua Latinarum, Graecarumque literarum intelligentia, veteris memoriae Populi Romani non ignarum, in Dialecticis exercitatum, ob quam unam artem longe & aequalibus, & iis, qui ante ipsum fuerant, Iureconsultis praestitit SER. SVLPITIVS: Philosophiae demum non insolentem, ac rudem: cui LABEO ANTISTIVS quia egregie operam dederat, multa in iure innovavit: posse, inquam, eum per se in scientia hac aliquid consequi non vulgare: in quo haec non sint. sed non inseparabile longius. Neque id tamen sic accipi velim, quasi haec in me sint: dicerem esse, si ita sentirem,

rem, neque in veritate arrogantiae crimen extimescendum putarem.

[32.] Reliqua facilis responsio est. Non confenui in iure Civili: nec vellem quidem. Operam tamen annos ferme tres Lugduni dedi AEMYLIO FERRETO, parenti alteri meo, Iureconsultorum memoriae nostrae facile principi: cum ille & respondendo, & monendo, & aliquid interdum veluti paelegendo, satis faceret studio nostro Civilis disciplinae. Neque ex eo tempore a libris Iurisconsultorum longius unquam oculos dimovimus. Nam id omne tempus, quo Tolosae fuimus, tanta in studio assiduitate, tantaque contentione usi sumus, ut maiore non potuerimus. Quae ut ita non sint, faciunt tamen imperite, qui de scriptis nostris iudicaturi, quam multos annos in hoc studio consumperimus, quaerendum censem: quid enim aliud quaerant ii, quorum de re iudicium nullum est? Tum vero ars haec neque ita faci-

lis est, ut simul aspici, cognoscique possit: neque ita difficilis, ut cognoscendae vix aetas sufficiat. Posita omnia sunt ante oculos, posita in usu quotidiano, communique hominum vita, in foro, ac iudiciis agitata, neque ita multis, aut difficilibus literis continentur: nos floribus austros Perditi, & in liquidos fontes immisimus apres: nostro vitio in solo tam culto, tam miti, Pro molli viola, pro purpureo narciso, Carduus & spinis crevit paliurus acutis, ut est apud Poëtam. Q. MVTIVS SCAEVOLA idem Pontifex, idem iuris peritissimus, nullius sibi artis faciliorem cognitionem videri, dicere solebat. NERVAM filium de iure respondisse adolescentem admodum, memoriae proditum est. Et, ut scribendi finem faciam, vetus, frater, est, &, uti mihi videtur, verum: nisi quod cito quisque potuerit, nunquam omnino posse perdiscere. Vale.



PETERSO DERTANDO

GRANDISALAME

**ANTONII GOVEANI
IVRE CONSULTI,**

A D

LEG. GALLVS XXIX.

DE LIBER. ET POSTHVM.

HAEREDIBVS INSTITVENDIS VEL

EXHAEREDANDIS

LIBER.

nde reg. 325

PETRO BERTRANDO
ABBATI GRANDISYLVAE,
ANTONIVS GOVEANVS
S. P. D.

MITTO ad te, Praesul Amplissime, interpretationem legis, GALLVS AQVILIVS. ad quam, si, quae ab aliis scripta sunt, referre, ac refellere voluissim, volumen a me iustum haberes: sed scribentem ad te, veritate, & brevitate decuit esse contentum. Neque enim tu is es, quem ambitiosae commentationes delectent, intelligentibus molestae, rudibus prorsus imutiles. Et vero quid ad nos, si quid ACCVRSIUS, BARTOLVS, BALDVS, IASON que peccaverunt, ut de aliis taceam, minorum veluti gentium interpretibus? qui, ut a nobis semel nominarentur, centies mori voluissent. Neque est, quod pro columnariis istis scriptoribus (utar eorum verbo) mihi quisquam dicat, ipsum hoc facere Philosophos consueuisse, aliorumque ab aliis refelli sententias solere, scilicet nos de rerum principiis, de animi vi ac natura, de motu & numero astrorum, de summo bono disputamus? ac non potius de eo, cuius ignoratio ne surdam quidem excusat aniculam, hoc est, de legis sententia. In amne tam sedato Aegei maris fluctus excitare, & in scirpo tam laevi nodos nectere Gordianos, hominis est, ut dicam levissime, otio & literis abutentis. Brevem igitur ad te mitto, Praesul Amplissime, &, ut mihi videtur, dilucidam legis, GALLVS AQVILIVS. interpretationem, munus magis mihi conveniens, quam tibi necessarium. Tibi enim multo iis nostris meliora domi nascuntur. Ego autem maius nihil habui, quo meam erga te observantiam testatam posteritati relinquem. Vale. Cadurci Idib. Aug.
[MDLIII.]

ANTONII GOVEANI I V R E C O N S V L T I,

A D

L E G . G A L L V S X X I X .

D E L I B E R . E T P O S T H V M .

H A E R E D . I N S T I T . V E L E X H A E R E D A N D .

L I B E R .

S V M M A R I V M .

1. Posthumus quam in iure varie dicatur.
2. Is succedit, qui in locum ab alio ante occupatum subingreditur.
3. Ex secto matris utero qui extrahitur, posthumus non est.
4. Posthumorum genera.
5. Postumi aliqui sunt in potestate, aliqui non.
6. Alii sui, alii alieni.
7. Posthumus, ante emancipationem conceptus, nascitur in potestati avi.
8. Divisio posthumorum in suos & alienos manca.
9. Qui postumi heredes fieri possint.
10. Cur in divisione hered. in tit. de hered. qual. & differ. nepotes non contineantur.
11. Cur postumi institui non potuerint.
12. Qui postumos instituere possint.
13. Testamenta etiam a nepotibus, qui sui nascuntur, rumpuntur.
14. Posthumorum institutiones iure civili introductae.
15. Cur GALLVS AQVILIVS formulam, ex qua nepotes postumi institui possent, introduxerit.
16. Cur lex Vellea necessaria fuerit.
17. Posthumus alienus iure civili institui non potuit.
18. Traditur vera sententia l. a fratrib. de legat. I.
19. Hodie posthumus alienus recte instituitur.
20. Vtrum postumi nepotes ex GALLI formula instituantur, an vero substituantur.
21. Vtrum filius instituatur his verbis, si filius meus me vivo decedat.
22. Vtrum natī vivo avo sint instituti ex formula GALLI.
23. Vtrum opus fuerit formula GALLI, cum substitutio vulgaris idem videatur praestare.
24. Vtrum filio exhaeredato, nepos ex eo, formula GALLI instituatur.
25. Vtrum formula GALLI perfecta sit.
26. Servitus morti similis.
27. Captivitas morti comparatur.
28. Reversi ab hostibus ius postliminii habent.
29. Formulam GALLI interpretatur auctor, non supplet.
30. Vtrum nepos, qui in civitate conceptus, apud hostes natus vivo avo & patre, utrisque autem mortuis revertitur, ex formula GALLI institutus videatur.
31. Omnes leges praeter ll. 12. tab. novum ius dicuntur.
32. Lex Vellea duo capita habet.
33. Ad quos primum caput spectet.
34. Ad quos alterum, cap. l. Vel. pertineat.
35. Vtrum, hic casus, si filium habeas & nepotem nondum natum ex eo instituas neposque vivente & patre suo nascatur, at mox te vivo pater decedat, ad L. Vell. pertineat.
36. Quatenus, qui in utero est, pro nato habeatur.

[1.]  ACTVRVS interpretationem legis, Gallus Aquilius, praemittendum existimavi, quam varie in iure posthumus dicatur, quot posthumorum genera sint, quod ius circa posthumorum institutionem olim fuerit, & hodie sit. Expositis autem his quaestionibus, ad eas acce-

demus; quae GALLI formulam proprius attингunt. Principio igitur, posthumus dicitur filius, qui natus non est. l. placet. 4. de lib. & posthum. Et ita sumitur in omnibus legibus eius tituli, praeter quam in l. Gallus. in qua de posthumorum nepotum institutione agitur. Interdum vero postumi appellatio etiam ad nepotes, & eos, qui deinceps per sexum masculinum descendunt pertinet. l. postumi 3. de iniust, rup. & irrit. testis

test. omnes denique eos, qui agnascendo rumpere testamentum possunt. Tertio, *posthumi* dicuntur, quicunque tempore testamenti nati non sunt, sive ex nobis, liberisve nostris, agnatis, cognatis, sive prorsus extraneis, & alienis nascituri. Ita sumitur in *I. posthumus* 6. *de inoff. test. in §. posthumo alieno* 28. *de legat. lib. II. Instit.* & aliis locis compluribus. Quidam *posthumorum loco* esse dicuntur, qui tempore testamenti nati, in locum suorum succedunt, de quibus Iureconsult. in *I. posthumorum* 13. *de iniust. rupt. irrit. test.* qui quia nati iam sunt, *posthumi* non sunt: Et quia succedendo post testamentum agnasci quodammodo videntur, *posthumorum loco* esse dicuntur.

[2.] Is autem *succedere* dicitur, qui in locum ab alio ante occupatum subingreditur, & subintrat. Nepos enim, qui cum nascitur, vacuum primum locum reperit, non *succedere*, sed *agnasci* dicitur. Qui vero occupatum, & plenum, si casu aliquo in eum locum postea ingrediatur, succedit: & ad eos, qui succedunt, & *posthumorum loco* sunt, pertinet secundum caput *legis Velleae*. A veteribus porro post mortem patris natus, *posthumus* dicebatur, quasi *post humatum* patrem natus. Eam enim apud Romanos antiquissimam fuisse sepius liendi consuetudinem, testatur MARCVS TVLIVS lib. II. *de Legib. cap. 22. PLAVTVS* Qui *senex uxorem dicit domum, si forte gravidam uxorem fecerit, dubium non est, quin filio paratum sit nomen posthumi.* Et VIRGILIVS Filium, qui AENEAE, mortuo eo, natus fuerat, *posthumam AENEAE prolem* dixit. Primi generis *posthumum* mulier non habet.

[3.] Nam, qui ex secto matris utero extrahitur, *similis posthumo* dicitur, in *I. posthumus* 6. *de inoff. test.* Posthumus eo non est, quia non nascitur: neque enim verum est, nasci eum, qui ab utero extrahitur. Secundi item generis *posthumum* mulier non habet: quia per sexum masculinum qui descendunt, ii secundi generis *posthumi* dicuntur. Tum vero, neque superstitem nepotum, neque *posthumorum* praeteritio aviae rumpit testamentum. Vnum & a matre & ab avia praeteritis remedium est, querela testamenti inofficiosi. §. ulti. *de inoff. test. lib. II. Instit.* Terti generis *posthumos* quaeviis persona habere potest. Et haec de *posthumi* significatione.

[4.] *Posthumorum* autem duae adferri possunt divisiones.

[5.] Prior illa, ut quidam sint *in potestate*, quidam *non sint*. In potestate, ut filii, nepotes, & reliqui per sexum masculinum descendentes: caeteri omnes extra potestatem. Et divisio haec nullam habet dubitationem.

[6.] Sequens divisio mirabiliter exercuit Doctores nostros, in qua *posthumi* quidam dicuntur *sui*, quidam *alieni*. *Posthumi sui* di-

cuntur, qui nati, & in potestate essent, & primum haeredum locum occuparent. Sui enim qui dicuntur, sui haeredes dici intelliguntur. Itaque filius posthumus, *suis posthumus* dicitur. Et nepos posthumus, quem pater non antecedit, *suis posthumus* appellatur. Alieni autem *posthumi*, authore IVSTINIANO in §. *posthumo cit.* qui nati, haeredes futuri non sunt inter suos. Exempli causa, nepos posthumus ex filio emancipato, post emancipationem patris conceptus, alienus posthumus est. *Ex filio autem emancipato*, eo diximus, quia nepos posthumus ex filio familias *alienus* dici non potest, cum natus in avi potestate futurus sit. Alieni autem, sive *extranei*, dici non possunt, qui in potestate sunt. §. *caeteri. 3. de haered. qual. & diff. lib. II. Instit.*

[7.] Eo autem ponimus *post emancipationem conceptum*, quia ante conceptus nascitur in avi potestate.

[8.] Vnde liquido colligimus, nepotes *posthumos* ex filiisfamilias alienos posthumos non esse. Rursum, suos non esse constat, quos parentes antecedunt: ut divisio *posthumorum* in *suos & alienos*, manca, deminutaque videatur, in quam nepotes *posthumi* includi non posse videantur. De qua quaestione si commemorare velim Interpretum nostrorum, tum veterum, tum recentiorum sententias, iustum faciam volumen.

[9.] Iis igitur omissis, cum *posthumos* in *suos & alienos* dividimus, divisionem facimus eorum *posthumorum*, qui haeredes fieri possunt. *Suis enim, & alienus*, haeredum species sunt. Nepotes autem *posthumi*, quos parentes antecedunt, haeredes fieri non possunt.

[10.] Vnde sit, ut in divisione haeredum, quae ponitur in *titu. de haered. qualit. & diff.* nepotes non contineantur, quos parentes antecedunt. Nec enim necessarii sunt, neque sui & necessarii, neque alieni, sive *extranei*: cum *extraneos* diffiniat Imperator eos, qui *in potestate non sunt*. Eo autem in ea divisione non continentur, quia haeredes esse non possunt. Vel enim filius, ex quo nepos est, haeres instituitur, vel exhaeredatur. Priore casu institui nepos haeres non potest: vel enim pater haereditatem acquirit, vel repudiat: utrum fecerit, nepos haeres esse non potest. Si autem filius exhaeredetur, & ex eo nepos instituatur, & iussu patris necesse est, nepotem haereditatem acquirere, cuius in potestatem recidit, ayo mortuo, & patri praeterea acquirere, non sibi: atque ita acquirere, ut patrem haeredem ayo faciat necessarium. I. qui *in aliena* 6. §. *interdum* 5. *de acquir. haered.* Quo casu, quamvis instituatur nepos, haeres tamen non fit. In iis enim personis, quae in aliena sunt potestate, haereditas ne puncto quidem temporis consistit. In ea itaque divisione, *posthumi*, qui haeredes fieri possunt, dividuntur: Nepotes *posthumi*, quos parentes antecedunt,

dunt, includi non possunt. Itaque in *l. Gallus Aquilius*. neque *sui*, neque *alieni posthumi* appellantur, sed *nepotes posthumi*. Qui propterea videbantur institui non posse, quod iis parentes obstarent.

[11.] Tertium erat de posthumi institutione. Et principio quidem, qui in rerum natura non erant, haeredes institui non poterant, credo quia cum incertis personis testamenti factio non erat, eademque de causa neque legari eis poterat.

[12.] Placuit tamen postea Prudentibus, ex quorum interpretatione ius Civile constat, *l. 2. de origi. iur.* ut filium posthumum quivis masculus instituere posset. *l. placet. 4. de lib. & posthum.* qui modo generare per naturam posset. Nam castratis ut neque adoptare, ita neque posthumum haeredem instituere conceditur. *l. est quaesitum 6. de lib. & posthum.* Hermaphroditis item, in quibus foemineus praevalet sexus, ius hoc negabatur. *d. l. est quaesitum.* Solis itaque masculis iure Civili permittebatur posthumum instituere, etiam non maritis, tam ex certa, quam incerta muliere nasciturum, cum qua modo connubium esset, nisi forte uxor esset aliena: bonis nanque repugnat moribus, posthumum instituere ex ea, quam aliis habet in matrimonio. Quod favore testamentorum a Prudentibus introductum existimandum est, quorum testamenta nati post mortem filii rumperent, si nec haeredes, nec exhaeredes scripti essent: Mulieribus, quae posthumos non habent, concedi hoc non potuit.

[13.] Testamenta autem non solum a filiis praeteritis rumpuntur, verum etiam a nepotibus, qui sui nascuntur. De quibus idem existimandum est Prudentes sensisse, quod de filiis. Eadem nanque in utrisque ratio est, favor scilicet testamenti, qui tantus est, ut interdum testamenti potius, quam liberorum ratio habeatur. Si enim pars iudicantium pro testamento iudicet, pars pro liberis, qui querela agunt inofficiosi, favor superat testamenti. *l. si pars 10. de inoff. testa.*

[14.] Horum autem posthumorum institutiones iure Civili introductas fuisse, aperte testatur *Vlp. in Instit.* Scribit enim, *posthumorum, qui nascuntur post mortem parentum, institutiones iure Civili permisas:* Eorum autem, qui vivus parentibus nascuntur, *lege Vellea.* Ius autem Civile, uti iam diximus, eam iuris partem intelligimus, quae Prudentum interpretatione constat.

[15.] Verum enim vero quia parentes superstites interdum nepotibus posthumis obstabant, quo minus institui possent iure Civili, ideo *GALLVS AQVILIVS* formulam introduxit, ex qua institui possent nepotes posthumi, hoc est, nepotes, quos patres tempore testamenti antecedunt: ne si forte sui nascerentur, avorum rumperent testamenta. Non ergo induxit *GALLVS AQVILIVS*, ut posthami nepotes instituerentur. Id enim ius

Civile introduxerat: neque ius facere *GALLVS* potuit. Sed quemadmodum instituerentur, quibus parentes obstabant, id vero primus excogitavit *GALLVS AQVILIVS*, eiusque institutionis formulam protulit.

[16.] Cum autem ius Civile de posthumis, qui mortuo ayo nascebantur, duntaxat cavisset, necessaria *lex Vellea* fuit, qua permitteretur eorum posthumorum institutio, qui vivis nobis sui nascerentur. De quo casu Prudentes eo nihil introduxisse puto, quod, quibus vivis sui agnascuntur, mutandi testamenti habeant facultatem: Prudenter tamen animadvertis *VELLEVS*, fieri posse, ut mutandi testamenti facultatem non haberent, quibus vivis sui agnascerentur, peregre forte agentibus, ubi civium Romanorum copia non sit, vel morbo oppressis repentina. Itaque legem tulit, ut liceret instituere posthumos nepotes, qui avis vivis sui nascerentur.

[17.] Posthumi autem alieni institutionem non recepit ius Civile, neque ei quicquam omnino legari permittebat, quamvis Praetor eam institutionem hactenus tueretur, ut secundum tabulas bonorum possessionem daret, ut scribit *Imp. in tit. de bon. post lib. III. Inst.* Atque ideo idem *Imp. in tit. de legat.* scribit, *posthumum alienum institui olim potuisse:* non quod iure Civili ea valeret institutio, sed quia Praetor bonorum possessionem daret instituto. Qui enim posthumo alieno instituto decedebat, *intestatus decessisse* dicebatur. *l. posthumus 6. de inoff. test. in illis verbis, QVID ERGO? ILLIS IMPVTA TVR, QVOD INTESTATI NON DECESSE RINT.* Et sane ex cuius testamento haereditas non acquiritur, intestati exitum facit. Quin ne testamentum quidem est sine haeredis institutione. Quamvis autem alienum posthumum haeredem quis habere non posset, pater tamen filio impuberi fratrem posthumum recte substituebat, haeresque ipsumuberis siebat posthumus frater, *l. moribus 2. §. prius autem. 4. de vulg. & pupill.* Cum enim unum testamentum esset patris & filii, fieretque a patre, haeres posthumus fratri siebat, quasi a patre institutus, & in patris testamento. Propter quam rationem & necessarium haeredem pater faciebat impuberi, quem sibi facere poterat. *§. prius autem cit.* Neque obflat *l. a fratribus posthumo 127. de leg. 1.* (sic enim veteres codices habent, non, *HAEREDE POSTHUMO.*) ubi posthumus alienus legitimus haeres fieri posse dicitur, idque ex *GALLI* sententia: ut formulam *AQVILII* ad alienos posthumos pertinere, suspicari non nemo possit. Huius enim legis longe alia sententia est, quam vulgo existimat.

[18.] Illud nanque in ea lege quaeritur, & deciditur, *Possitne a fratribus posthumo instituto,* quem posthumum alienum esse constat, *fideicommissum relinquere.* Dubitandi causa, quod legata non nisi ab haerede, non nisi in testamento

mento relinquerentur, ut de fideicommissis idem dicendum videretur: relinqu scilicet non posse a posthumo alieno instituto, qui nec haeres esse posset ex testamento, si modo testamentum dicendum sit, in quo haeres nemo instituitur. Respondet autem Iureconsult. in fideicommissis nihil praeter voluntatem spectari: & extra testamentum relinqu posse, & ab alio quam ab haerede. Tum vero, fratri posthumum institutum, quamvis ex patrui testamento haeres esse non possit, patruo tamen *legitimum*, hoc est, ab intestato haeredem fore. A venientibus autem ab intestato, quamvis legata non relinquuntur, fideicommissa relinqu posse. Obtinuisse enim **GALLI** sententiam, alienos posthumos, qualis est fratri posthumus, legitimos haeredes nobis fieri posse, quamvis testamentarii fieri non possint. Ex his liquido apparet, de formula **GALLI AQVILII** non loqui Iureconsultum: in qua nepotes posthami ita instituuntur, **SI SVI NASCANTVR.**

[19.] Et hoc olim ius erat circa posthumorum institutiones: hodie ex constitutione Imp. alieni posthami recte instituuntur, haeredesque ex testamento fiunt. §. *posthumo quoque alieno. de legat. lib. II. Inst.* Sequitur, ut de his quaestionibus consideremus, quae **GALLI** formulam proprius attingunt. Principio autem quaerendum est, instituantur, an substituantur posthami in formula **GALLI AQVILII**. Tum vero, an filius his verbis institui videatur, **SI FILIVS MEVS ME VIVO DECEDAT.** Tertio, habeatne locum. *l. ultima. C. de posthum. haered. instit.* in formula **GALLI AQVILII**, ut & nati vivo avo institui videantur. Quarto, quid opus fuerit formula **GALLI AQVILII**, cum idem substitutio vulgaris praestare posse videatur. Quinto, filio exhaeredato possitne ex eo ita posthumus institui. Sexto, sitne perfecta formula **GALLI AQVILII.**

[20.] Et de eo, quod primo quaerebamus, posthami ex formula **GALLI AQVILII** institui dicuntur, & a Scaevola in *l. Gallus.* & ab Africano in *l. si mater.* 33. §. *si filius 1. de vulg. & pupil.* Nusquam autem appellari videmus *substitutos*. Tum vero, cui ex testamento haereditas deferri nisi primo non potest, is *institutus* dici, non *substitutus* debet, argumento *l. cum ex filio* 39. §. *quidam quatuor haeredes 2. de vulgar. & pupil.* Cuius species haec est: Titius primum, secundum, tertium, quartum haeredes instituerat: Sempronium omnibus praeterquam Quarto substituerat. Tertius & quartus vivo testatore deceperant. Quaerebatur, ad partem quarti primusne & secundus duntaxat, an & cum iis Sempronius admitteretur? Videbatur non admitti, propterea, quod in iure accrescendi substitutum cohaeredes antecedunt, ut quamvis tertio quarti pars pro portione accresceret, tamen Sempronio, quem tertio diximus

substitutum, non accrescat, qui a tertii cohaeredibus in parte quarti antevertitur. Verum quia tertius vivo testatore deceperat, eiusque facta erat quasi caduca institutio, Sempronio & Primo, & Secundo, uno eodemque tempore haereditas defertur. Ideoque & ipse Sempronius, quasi institutus cum reliquis cohaeredibus, ad quarti partem admittitur. Quem, si tertius post mortem testatoris deceperet, in quarti parte reliqui antecederent cohaeredes: quibus videlicet prius, quam Sempronio, haereditas deferretur, cui post tertium delata haereditas esset: nam tertio, qui post mortem testatoris deceperit, prius delatam haereditatem constat, quam substituto. Neque obstat, quod in *l. cum in testamento 37. de haeredib. instit.* scribit Iurisconsult. *Si filius, & ex eo nepos, instituantur, uti placuit GALLO AQVILIO, duos haeredum gradus fieri.* Hoc enim ita accipendum est, non quasi nepos posthumus sit substitutus, sed quia filius & nepos ad haereditatem nunquam simul pervenient, quamvis uterque sit institutus. Propter quod videbatur, nepoti posthumo substitutum, nepote non nato, una cum nepotis patre admittendum. Quemadmodum uni e cohaeredibus substitutus, altero repudiante, simul cum altero admittitur. Quod tamen in filio & nepote posthumo institutis ita non est. Ita enim uterque instituitur, ut simul admitti non possint. Multo igitur minus filius, & nepoti posthumo substitutus simul admittentur. Et haec sententia est legis *cum in testamento. l. si mater 33. §. si filius 1. de vulg. & pupil.*

[21.] Secundo quaerebamus, instituaturne filius his verbis: **SI FILIVS MEVS ME VIVO DECEDAT.** Et dicendum est, non institui. Si enim filium instituit, qui ita scribit, quid est quod Iureconsult. in *l. Gallus 29. §. in omnibus 10. monet, in omnibus his speciebus, quae ad formulam GALLI attinent, filium ex parte esse instituendum?* Tum vero, in *§. idem credendum 2.* Si quis filium habens & nepotem, instituere pronepotem posthumum velit, id ita facere posse, Scaevola scribit, **SI FILIVS ET NEPOS ME VIVO MORIANTVR, TVNC QVI MIHI EX EO PRONEPOS NASCETVR.** Ne tamen testamentum successione rumpatur nepotis, prius nepotem, quam filium, decidere debere, ne succedens nepos rumpat testamentum. At rumpere, qui praeteritus non est, qui potest? Qui ergo ita scribit, **SI FILIVS ET NEPOS ME VIVO MORIANTVR, nepotem praeterit.** De quo non sinit nos dubitare Iureconsult. in *l. si quis eum 16. §. si suo 1. de vulg. & pupil.* Cuius verba haec sunt, **SED SI SECUNDUM TESTAMENTUM ITA FECERIT PATER, UT SIBI HAEREDEM INSTITUAT SI VIVO SE FILIVS DECEDAT,** potest dici non rumpi superius testamentum: quia secundum non valet, in quo filius praeteritus est. Qui locus tam aperatus est, ut calumniari eum **BARTOLVS** non possit:

possit: quem non solum ut autorem, verum ut bonum etiam autorem laudari ab iis, non sine dolore & animi indignatione video, quos ego laudo. Qui ergo ex formula **GALLI AQVILII** nepotem posthumum instituere vult, ita eum scribere necesse est, **FILIUS MEVS HAERES ESTO: SI FILIUS, ME VIVO, DECEDAT, TVM QVI EX EO MIHI, &c.**

[22.] Tertiae quaestioni facilis responsio est, non habere locum *l. ult C. de posthum. haered. instit.* in **GALLI** formula. Quia nepotum, qui vivo ayo post testamentum nascebantur, non iure Civili, sed *lege Vellea* institutio permittebatur. Filiorum enim posthumorum, qui & vivo & mortuo patre nascebantur, & nepotum, qui mortuo duntaxat ayo nascebantur, institutio Prudentum interpretatione recepta erat, ut iam superius diximus.

[23.] Quartae autem quaestioni difficilior responsio est, videbatur nanque substitutio sufficere vulgaris ad hoc, ne natus posthumus post mortem avi, rumperet testamentum, in quo se institutum reperiret. Inciperet enim testamentum a secundo gradu, in eoque primum confisteret. Dicendum tamen est, eandem esse vim huius institutionis, **SI FILIUS MEVS ME VIVO DECEDAT, TVNC QVI MIHI EX EO NEPOS POST MORTEM MEAM NASCETVR, HAERES ESTO:** & huius substitutionis (quae tamen re vera institutio est) **SI FILIUS MEVS HAERES NON ERIT, TVNC QVI POSTHVMVS EX EO MIHI NASCETVR, HAERES ESTO.** Nullo enim alio casu evenire potest, ut nepos haeres sit, nisi decedente filio vivo ayo: vel, quod idem est, emancipato, vel ab hostibus non reverso. Si enim filius patri supersit, neque repudiet haereditatem, nepoti ex eo locus esse non potest. Et multo minus si repudiet. Quare qui ita scribit, **SI FILIUS HAERES NON ERIT, TVNC QVI EX EO NEPOS &c.** idem dicere videtur, quod qui hoc modo scribit, **SI FILIUS MEVS ME VIVO DECEDAT.** At, qui ita scribit, instituit posthumum, non substituit: quare &, qui illo modo scribit, **SI FILIUS HAERES NON ERIT, TVNC QVI MIHI EX EO NEPOS &c.** nepotem instituit, non substituit. Potest igitur, non expresso casu mortis filii, ex **GALLI** consilio posthumus nepos institui hoc modo, **SI FILIUS HAERES NON ERIT, TVNC QVI EX EO MIHI POSTHVMVS NASCETVR POST MORTEM MEAM, HAERES ESTO.** ut simpliciter nepotis posthumus facta institutio, valeat eo casu, qui ex verbis institutionis concipi & intelligi possit. Ex verbis autem institutionis nullus alias intelligi casus, quam mortis filii, potest: quoniam hoc demum casu nepos posthumus haeres esse potest. Et haec sententia est §. *quidam. l. l. Gallus.*

[24.] Quinto quaerebamus, possitne exhaeredato filio ita institui nepos, **FILIUS EXHAE-**

RRES ESTO, SI FILIUS ME VIVO DECEDAT, TVM QVI EX EO NEPOS POST MORTEM MEAM, &c. Et Scaevola in *l. Gallus. §. in omnibus 10.* respondet *non posse*: quia frustra quis post mortem suam exhaeredatur. Exhaeredatio autem, quae non rite fit, pro praeteritione habetur. Itaque Praetor liberis non rite exhaeredatis bonorum possessionem dat contra tabulas, quasi praeteritis. *l. non putavit 8. §. non quaevit 2. de bon. poss. contr. tabu.* Conferri autem in tempus mortis filii huiusmodi exhaerationem filii, ex eo intelligimus, quod exhaeredatio non tenet, nisi ubi quis ex testamento haeres est. Vnde neque querela nascitur exhaeredatis, nisi post quaesitam haereditatem ab instituto. *l. Papinianus 8. §. si conditioni 10. de inoff. test.* Nepos autem posthumus haeres existere non potest, nisi mortuo patre suo, necesse igitur est, filium ex aliqua saltem parte institui, ex quo nepotem posthumum instituere volumus: Ne filio praeterito, vel, quod idem est, post mortem suam exhaeredato, rumpatur testamentum. Non idem dicendum est de iis, qui secundum gradum obtinent inter liberos. Possum namque instituto filio, praeterito nepote, ex formula **GALLI AQVILII** pronepotem posthumum instituere. Sed hoc casu, quemadmodum antea diximus, nepotem ante patrem suum decedere oportet, ne successione rumpatur testamentum.

[25.] Sexto, & postremo quaerebamus, esetne perfecta formula **GALLI AQVILII**. Ad quam quaestionem pertinet. §. *idem credendum 2. §. & quid si tantum 5. §. quid si is 6. §. si eius 7. & § forsan 8.* Et dicendum est, perfectam esse. Nam quod **GALLVS AQVILIVS** de nepote induxit, existimandum est, idem & de pronepote sensisse, quem nepos antecedit: ut testator ita dicere possit, **NEPOS HAERES ESTO, SI NEPOS ME VIVO MORIATVR, TVM QVI PRONEP. &c.** Sed & si vivo filio, mortuo iam nepote, cuius uxor praegnans esset, testamentum quis faciat, dicere ita possit, **SI ME VIVO FILIUS MEVS DECEDAT, TVM QVI PRONEP. &c.** Vtrisque autem vivis concipere ita potest, **VTRISQUE ME VIVO MORTVIS, TVM QVI PRONEP. &c.** Sed tum prius nepotem, deinde filium decedere oportet: ne successione rumpatur testamentum a nepote, qui institutus non est, uti iam diximus. Quamvis autem **GALLI** formula casus mortis filii expressus sit, evenientibus tamen casibus his, qui morti similes sunt, hoc est, quibus filius de patris potestate exit, recte posthumus nepos & pronepos instituuntur, qui avis mortuis nascuntur, ad quos *leg. Velleam* constat non pertinere. Casus autem hi sunt, aquae & ignis interdictio, in cuius locum succedit deportatio, quae *mors Civilis* appellatur: eximitur enim de civitate caput.

[26.] Est & emancipatio, quae & ipsa cum per venditiones fieret, recte mortalitati comparatur. Servitutem enim, in cuius formam filius redigebatur, morti similem facit Iureconsult. in *l. servitutem* 209. *de reg. iur.* Qai omnes casus per interpretationem sententia *legis Velleae* continentur. Generalia namque *legis Velleae* verba, *SI QVIS EX SVIS HAEREDIBVS SVVS HAERES ESSE DESIERIT.* §. *sequente parte 13. l. Gallus.* Generalia autem quae sunt, interpretationem recipiunt. Specialiter autem, & in unum aliquem casum concepta, qualis formula est *AQVILII*, supplenda necessario sunt. Itaque Iureconsultus in §. *sequente*, emancipationis & deportationis casus supplendos esse scribit in *GALLI* formula. Neque ideo tamen deminutam formulam esse, exsilmandum est, cum ex casuum similitudine suppleri possit: ut neque *legem Aquilam*, ex qua Praetor in casibus similibus utiles actiones dat. *l. quia actionum II. de praescr. verb.* Similiter ex Edictis saepe utiles actiones dantur, propter casuum similitudinem. Vnde sit, ut si mensor renuntiationem trahat, utilis actio non detur ex Edicto *SI MENSOR FALSVM MOD. DIX.* sed actio de dolo. *l. si mensor. 5. si mensor fals. mod. dixer.* Nullam enim inter se habent similitudinem, salsum modum dicere, & renuntiationem trahere.

[27.] Quin & captivitas morti comparatur: cum hostium servi sint, qui in hosiliū fūt potestate, & in numero civium esse desinant. Hoc autem ita accipiendum est, si ab hostibus non repedaverint.

[28.] Nam reversi, iure postliminii pristina omnia iura consequuntur. Quare, qui apud hostes filium habet, posthumum ex eo nepotem recte hoc modo instituit, *SI FILIVS MEVS ME VIVO DECEDAT, TVM QVI EX EO MIHI NEPOS, &c.* Quamvis enim filius apud hostes post mortem patris decebat, vivo tamen patre decesse intelligitur per *legem Corneliam*, quae prima hora captivitatis mortuum singit. Potest & ita instituere nepotem, *SI FILIVS MEVS DECEDAT ANTE QVAM AB HOSTIB. REVERTATVR.* Sed eadem sententia est, & vis institutionis, ac si dixisset, *SI FILIVS MEVS ME VIVO DECEDAT APVD HOSTES.* Quandocunque enim apud hostes decebat, vivo patre decesse intelligetur. Qui casus ad *legem Velleam* non pertinet, ex qua, uti iam diximus, vivis nobis nati institui permittuntur.

[29.] Quamvis igitur deminuta non sit *GALLI AQVILII* formula, ne tam multos casus supplere cogamur, melius erit substitutionem concipere generaliter, non expresso casu mortis filii, ut formulam potius interpretemur, quam suppleamus. Quemadmodum & sententiam *legis Velleae* interpretamur, non supplemus. Instituens ergo nepotem, qui sibi post mortem suus nasceretur, recte instituet. Vel etiam gene-

raliter, *QVICVID LIBERORVM NATVM ERIT POST MORTEM, aut, QVICVNQVE NATVS ERIT POST MORTEM, SI SVVS NASCATVR.* Et haec sententia est §. *quid si is. 6.* in quo verba illa, *VEL ETIAM ADHVC ILLIS VIVIS,* interpretationis verba sunt, & quidem parum acuti. Natus enim posthumus, avo vivo, nullo modo ad formulam *legis Velleae* pertinet. Sane si nascatur patre adhuc vivo apud hostes, non reverso postea patre, ad *GALLI* formulam pertineret. Potest ergo nepos posthumus ad formulam *GALLI* pertinere, & si vivo patre nascatur. Si autem vivo avo, pertinere non potest. Tum vero ubi legitur, *QVI NASCERETVR, alii legunt AVI NASCERETVR:* sed ego nihil muto: multis enim in locis legis huius ita loquitur Iureconsult. in quibus omnibus subintelligendum est *AVI:* nec enim *AQVILII* formula ad alios pertinet, quam qui post avorum mortem nascuntur.

[30.] Sane de nepote, qui in civitate conceptus, natus apud hostes vivo avo & patre, utrisque autem mortuis revertitur, sed patre ante avum: De illo, inquam, nepote instituto dubitatur, an ex iure antiquo & civili institutus videatur, hoc est, ex formula *GALLI AQVILII*, quae iuri antiquo & Civili congruit, uti iam diximus, an vero ex *lege Vellea* institutus videatur. Ad ius antiquum pertinere haec institutio videtur, eo quod, qui ab hostibus avo mortuo revertitur, nasci avo mortuo videtur. Rursum, quia reversus nunquam apud hostes fuisse intelligitur, natus vivo avo dici potest. Idem quae-rendum est, si iam mortuo filio, pronepotem quis ex nepote instituat, & pronepos conceptus in civitate, apud hostes natus, mortuo patre, deinde proavo, ab hostibus revertatur.

[31.] Sed hanc quaestionem tanquam supervacanam relinquit Iureconsult. indecisam: cum vel ex iure antiquo, vel ex *lege Vellea* posthumus hic recte instituatur. Recte autem institutus testamentum rumpere non possit. quod faceret, si recte non esset institutus. Et haec sententia est §. *si eius, qui filium 7. in quo ius antiquum & Civile a lege Vellea separatur: quia omnes leges, praeter leges XII. Tab. novum ius dicuntur. l. 1. de petit. haered.* Itaque *lex Iulia de adulteriis*, ex qua conductio nascitur, *lex nova* appellatur. *l. unica. de conduct. ex leg.* Et in *S. C. Orfitiano* verba illa, *IUS ANTIQVM ESTO, de iure XII. Tab. & civili intelliguntur.* *l. 1. ad S. C. Orfit.* Sane si quis ita scribat, *FILIVS HAERES ESTO, SI FILIVS ME VIVO DECEDAT, QVI MIHI EX EO POST MORTEM NEPOS NASCETVR, HAERES ESTO.* Nato autem hoc nepote vivo post testamentum, avus ex eo pronepotem instituat, dubitatur, valeatne haec pronepotis institutio. Dubitandi causa, quoniam eius pater non recte sit institutus. Recte autem non esse institutum, quia

quia in eum casum est institutus, qui non evenit: natus enim est vivo avo, qui post avi mortem erat institutus. Quod si in filio eveniat, rumpitur sine dubio testamentum. *I. commodissime 10. de lib. & posthum.* Quod in hoc nepote expavescendum non est, qui ante patrem suum decepit. Ex quo pronepos, qui nascitur, post patris, avi, & proavi mortem, recte videtur institutus; nam & suus nascitur proavo, & post proavi mortem nascitur. Ita autem qui nascuntur, ex formula **GALLI AQVILII** recte instituuntur, admittunturque ex ea institutione pronepotes ex nepotibus vivo filio natis post testamentum. Qui tamen instituti erant, Si nascerentur post mortem testatoris: admittuntur, inquam, ex ea institutione, ac si testator emancipatum pronepotem in locum filii adoptatum, haeredem instituat, eius patre praeterito. Et haec sententia est *§. forsan. 8.* in quo extremo transposita quaedam verba sunt, quae ita sunt restituenda, & reponenda suo loco, **ERGO ET SIC PRONEPOS ADMITTETVR EX NEPOTE, QVI NATVS ERIT POSTEA VIVO FILIO, ATQVE SI EX EO NATVS, ESSET ADOPTATVS.** Ille autem articulus **POSTEA**, post testamentum accipi debet. Et haec de **GALLI** formula, eiusque consilio, & mente **SCAEVOLAE** sufficient.

[32.] Sequitur, de *lege Vellea* videamus. Cuius lator qui fuerit, & quo tempore lata sit, certum non habeo. Eius duo capita sunt. Prior eorum nepotum institutio permittitur, qui vivis nobis post testamentum nascentur: Ait Iureconsult. *I. 29. §. II. de lib. & posthum. NVNC de lege Vellea videamus, quae voluit, vivis nobis natos similiter non rumpere.*

[33.] Et videtur primum caput ad eos spectare, qui, cum nascerentur, sui haeredes futuri essent. Verba legis, haec sunt, **QVI TESTAMENTVM FACIET, IS OMNIS VIRILIS SEXVS, QVI EI SVVS HAERES FVTVRVS ERIT CVM NASCETVR, INSTITVENDI NECESSARIO POTESTATEM HABEAT, ETIAM SI PARENTE VIVO NASCATVR.** Quemadmodum nepotum, qui post mortem nascerentur, institutio iure civili recepta est: non autem eorum, qui vivis nobis nascerentur, propter eam causam, quam superius diximus: Possunt enim sibi consulere testatores, mutareque testamentum: denique cavere ne intestati decadant, quibus vivis liberi nascuntur. Ita quia interdum eveniebat, ut testandi facultatem quis non haberet, ut iam antea diximus, *lex Vellea* primo capite eorum quoque institutiones induxit, qui vivis nobis nascerentur, si modo nascerentur sui. Neque refert, quo tempore instituuntur, alia eos persona antecedat, an non: illud enim satis est, nasci suos. Nam & *lex* de eo tempore loquitur, quo nascuntur, non quo instituuntur. Et quia de iis loquitur, qui sui na-

scentur, ad foeminas non pertinet, quae suum haeredem non habent. Quod autem lex ait, **INSTITVENDI NECESSARIO**, sic accipendum est, ut haeredes necessarii fiant, qui instituuntur. *Haeredes autem necessarii* cur dicantur, scripsimus *lib. II. lect. variar.* & in commentario *ad tit. de vulg. & pupil.* Et haec sententia est. *§. nunc de lege II.* Cuius extrema verba sunt, **PARENTE VIVO NASCANTVR.** Perperam enim in libris nostris §§. distinguuntur. Quo autem in loco legitur, **VT NON SOLVM ILLVD PRIMO CAPITE NOTAVERIT, SI NEPOSEO TEMPORE INSTITVATVR, QVO FILIVS NON SIT: VERVM ETIAM SI VIVO PATRE NASCATVR,** Nemo non videt legendum sic esse, **VERVM ETIAM SI VIVO PATRE INSTITVATVR, MORTVO AVTEM NASCATVR.** nisi malis verbum **NASCATVR** auferre, quod & in quibusdam exemplaribus non habetur.

[34.] Secundum autem *legis Velleae* caput ad eos pertinet, qui loco posthumorum sunt, hoc est, ad eos, qui succedendo, non agnoscendo, rumpere testamenta possent: qui cum tempore testamenti nati sint, non permittitur *lege Vellea* eorum institutio: cum ipso iure institui possint: Sed dumtaxat, quemadmodum institui possint, praescribitur, quibus prior gradus obstat videbatur. Eo autem necesse est, eos institui, qui succedere in locum suorum possunt, ne forte successione, uti iam diximus, rumpant testamentum. Et cum verba legis generalia sint, & ad omnes gradus pertineant, interpretatio facit, ut non nepotes modo, verum etiam pronepotes hoc modo instituantur. Itaque filium, nepotem, & pronepotem habens, scribere ita potest, **SI FILIVS ET NEPOS ME VIVO DECEDANT, PRONEP. HAERES ESTO.** Ut enim **GALLI** formulam supplere necesse est, ita secundum caput *legis Velleae* satis est interpretari. Verba nanque legis generalia sunt, **SI QVIS EX SVIS HAEREDIB. SVVS HAERES ESSE DESIERIT.** Cum autem ita pronepos instituitur: nepotem ante patrem decedere oportet, ne successione rumpat testamentum, aut certe institutum esse, vel exhaeredatum. Et haec sententia est *§. sequente parte 13.* in quo ubi legitur, **NEC SOLVM SI NEPOS VIVO PATRE DECEDAT, NEC SVCCEDENS PRONEPOS AVO MORTVO RVMPAT.** ita mihi legendum videtur, **NEC SOLVM SI NEPOS VIVO PATRE DECEDAT, NE SVCCEDENS PATRI NEPOS, AVO MORTVO, RVMPAT.** Quoniam autem in lege nihil additur de tempore, quo praecedens persona suus haeres esse desinat, an vivo testatore, an vero mortuo: videndum est, an per interpretationem possit induci, ut si filium apud hostes habens, nepotem ex eo instituas, **SI FILIVS SVVS HAERES ESSE DESIERIT**, nepos succedendo non rumpat, etiam si post mortem avi filius

filius apud hostes decedat. Sed cum filius hic, qui apud hostes decedit, quamvis post mortem patris, vivo patre decessisse intelligatur, quia prima hora captivitatis mortuus fингitur: qui nepotem ex eo instituit, si filius se vivo moriatur, nepos ex eo institutus, decedente apud hostes filio, quamvis post mortem patris, proprius institutus videtur, ut ad interpretationem recurrere nihil sit necesse. Audacter enim dicere possumus, filium vivo patre suum haeredem esse desiisse. Et haec sententia est §. *videndum est* 14. in quo verbum **POSSIS**, aut verbum **LICET**, superfluum videtur.

[35.] Ille casus sane difficilis est, Si filium habeas, & nepotem nondum natum ex eo instituas, neposque vivo te & patre suo nascatur, at mox te vivo pater decedat. Neque facile dici potest, an ad legem *Velleam* casus hic pertineat. Prius enim caput legis ad eos pertinet, qui sui nascuntur. Hic autem, qui vivo patre suo natus est, suus natus non est. Posterius autem caput ad eos pertinet, qui tempore testamenti nati iam sunt, quos non permittit lex institui. Sed ne succedendo rumpant, cavit; & quemadmodum succedendo non rumpant, docet. Quod ut procedat, hoc est, ut succedendo non rumpant, utiliter, recteque debent institui. At qui nepos tempore testamenti nondum natus, natus postea vivo patre, nullo iure institui potuit. Iure enim civili, qui post mortem nostram nascuntur, institui possunt. At hic utroque parente vivo natus est. Ex lege autem *Vellea*, qui sui post testamentum nascuntur, institui permittuntur. Quare hic nepos, quasi non recte institutus, rumpere videtur testamentum in locum patris succedens. Sed *IVLIANVS* commisit duobus legis capitibus, in hoc quoque casu pro-

vidisse legem existimat, ne rumperetur testamentum. Hic enim nepos, quamvis suus non nascitur, post testamentum tamen nascitur, & avo vivo nascitur. Itaque ea ratione ad prius caput legis *Velleae* videtur pertinere. Et quia patre vivo natus est, & vivente avo patri succedit, ad caput secundum spectare videtur. Itaque casus, qui ad unum solum caput non pertinet, ad utrumque coniunctim pertinere videtur. Cum igitur *IVLIANI* recepta sit sententia, ut ad eum, qui non nascitur suus, lex *Vellea* pertineat capitibus commisit, quaerendum est. Si nepos hic vivo patre natus ab avo emancipetur, mortuo postea patri haeres sit voluntarius, an necessarius. Cum enim nullo alio iure, quam legis *Velleae*, haeres sit hic nepos natus vivo patre, necessario haeres sit, oportet, aut non sit haeres. Verum quia emancipatione suus haeres fieri non potest hic nepos, quamquam ex lege *Vellea* haeres sit, voluntarius tamen haeres erit. Et haec sententia est §. *ille casus* 15. in quo inter caetera Iureconsult. ait, *nondum natum nullo iure institui potuisse*. Neque distinguit in utero sit, vel non: quare neque nos distinguere debemus.

[36.] Neque obstat, quod, qui in utero sunt, pro natis habentur. *l. qui in utero 7. de statu hom.* Haec enim pro natis habentur, ut legitimae haereditates natis restituantur. *l. qui in utero. cit.* Itaque si fratri posthumum, qui in utero erat, instituebas, non siebat is ex testamento haeres, sed legitima ei haereditas restituebatur a sequente gradu, qui haereditatem occupabat. Si autem Titii posthumum, qui in utero erat, instituisses, nihil ex ea institutione consequebatur posthumus, neque magis pro nato habebatur, quam si in utero non fuisset. Et haec ad *l. Gallus*, sufficiant.



A N T O N I O G O V E A N I

M A N F R E D O d e C A R D A L I A C O .

R U D Y T E C A P U R
E M O M A R Y O R A C I O , T E

C E R V S E C A D U M I N E

C A N C E L L A R I O

A N T O N I O G O V E A N I

I V R E C O N S V L T I ,

A D

T I T . D E V V L G . E T P V P I L L . S V B S T I T .

L I B E R .

[P R A E L E C T I O P R I O R .]

C h u r c h i l l , W i l s o n , H u g h e s . [L M D R I T]

MANFREDO DE CARDALLACO,
ELEEMOSYNARIO REGIO, ET CADVR-
CENSIS ACADEMIAE
CANCELLARIO,
ANTONIVS GOVEANVS
S. P. D.

VOD mihi per Iustinianum licet, ad te mitto, Cancel-
larie illustrissime, παράτιτλον videlicet de VVLGARI ET
PVPILLARI SVBSTITVTIONE. Alterius enim ge-
neris commentarios libris suis apponi, vetat sapientissi-
mus Imperator. Ne, quod aliquando evenerat, accidere
unquam posset: ut ius civile scriptorum dissentionibus conturbaretur.
Itaque vetustissimi iuris interpretes (IRNERIVM & eius aequales
dico) nihil aliud quam notulas primum, deinde etiam, ut ipsi appel-
larunt, summas scribere ausi sunt. Eorum aetati qui succreverunt,
audaciores multo ad singulas iuris nostri non leges, non voces, non
syllabas, sed literas, ingentia volumina ediderunt. Puto vel ingenii
ostentandi causa, vel ignoratione eius, quod erat verum. Qui enim
parum compertum habent id, de quo scribunt, quia nunquam satis
se dicendo explicant, nunquam de tabula, ut in proverbio est, ma-
num tollunt. Quamobrem autem commentarium hunc ad te mitto,
causae hae sunt. Primum, quod intelligam, permultis me nova di-
cere videri, novitas autem magnos patronos defensoresque desiderat.
Tum vero, tui muneric pars est, & haud scio an maxima, intelli-
gere cuiusmodi in scholis tuis seminetur doctrina. Postremo maximis
tuis in me beneficiis indignus viderer, nisi aliquo officii genere decla-
rarem, nihil mihi ad remunerandum deesse, praeter facultatem. Vale.
Cadurci Idib. Augusti. [MDLIII.]

ANTONII GOVEANI IVRE CONSULTI,

A D

TIT. DE VVLG. ET PVPIILL. SVBSTIT.

L I B E R.

[PRAELECTIO PRIOR.]

S V M M A R I V M.

1. Quinam instituti, quinam substituti heredes?
2. Substitutio quid?
3. Substitutio fit duobus casibus, & ratione successionis est duplex Vulgaris vel Pupillaris.
4. Legitima vulgaria appellari solent.
5. Pupillaris substitutio unde dicta & cui fiat?
6. Filii testamentum dicitur ea testamenti paterni pars, ubi filio heres a patre datur.
7. IVLIANI de non convertendo scripturae ordine sententia inprobata.
8. Formula concipiendae substitutionis triplex est.
9. Recentiorum divisores in breviloquam & compendiosam absurdiae sunt.
10. Exemplaris substitutio non male Pupillaris appellari potest.
11. Breviloqua substitutio, ut vocant, quartum substitutionis genus non constituit.
12. Male etiam Interpp. breviloquam substitutionem tertium genus faciunt.
13. Nec rectius Compendiosam substitutionem quintum substitutionis genus faciunt.
14. Traditur huius libri dispositio:
15. Quando Vulgari & Pupillari substitutioni sit locus?
16. Quando in Vulgari fiat extensio?
17. Quomodo intelligendus IVSTINIANVS in l. ult. de inst. & subst?
18. Quomodo filio, qui in potestate est, vulgariter possit substitui?
19. Substitutione, impuberi in secundum casum facta, ad priorem casum trahitur.
20. Non tamen perpetuo illa extensio procedit.
21. In tertio substitutionis genere commune verbum substitutio pleniore interpretatione utrumque casum continet.
22. Quo in casu cesset illa plenior interpretatio?
23. Vulgaris substitutio puberi facta quando expireret?
24. Pupillaris substitutio multis modis evanescit.
25. Fideicommissaria substitutio non est pro substitutione habenda.
26. Affinitate tamen pupillarem substitutionem attingit.
27. Sed in multis differt a pupillari substitutione.
28. Quae militaris sit substitutio!

[1.] 
AEREDES aut instituti dicuntur, aut substituti: quae divisio ad eos etiam pertinet, qui ore nuncupantur. l. 1. de haered. instituere autem ponere & collocare significat. De quo scripsimus lib. 1. lecti. var. capite. 1. Vnde substituere supponere est & subrogare. l. arbores 59. de usufruct. l. 1. de alienat. iud. mut. causa fac. ut non improprie, quos e vita emigrantes in iuris nostri & patrimonii locum ponimus, instituti dicuntur; quos vero in eorum locum subrogamus, si illi nolint, aut non possint esse haeredes, substituti.

[2.] Neque sane aliud est substitutio, quam secundi haeredis institutio sive appellatio. Exempli causa TITIVS HAERES ESTO, SI TITIVS HAERES NON ERIT, SEIVS ESTO. Eo autem institutionem praemittimus, quia si quis ita scribat. SI TITIVS HAERES NON ERIT, SEIVS ESTO. Seium instituit non substituit. l. Gallus Aquil. 29. §. idem credendum 2. & §. II. capite. de liber. & posthum. de quo plura diximus ad l. Gallus. Quamvis autem secundo loco Seius sit institutus decedente Titio vivo testatore, Seius reperitur institutus, cui scilicet post mortem testatoris primo haereditas defertur. l. cum ex filio. 39. §. quidam 2. de vulga. & pupil. ubi portio eius haeredis, cui datus non erat sub-

substitutus, non solum ad cohaeredes pertinet, verum etiam ad substitutum, qui effectus fuit institutus, morte eius haeredis, qui in vita testatoris decesserat. Itaque etiam in formula **GALLI AQVILII** nepos posthumus instituitur, non substituitur, cui post mortem testatoris haereditas primo defertur. De quo plura scripsimus *ad leg. Gallus.* Secundus ergo haeres non ex ordine scripturae spectatur, sed successionis, ut cui primo ex testamento haereditas defertur, is sit *institutus.* Cui secundo vel tertio loco, *substitutus.*

[3.] Substitutis autem duobus omnino casibus haereditates defertur. Casus prior, si **INSTITUTVS HAERES NON SIT:** Alter vero, si **INSTITUTVS HAERES SIT ET IN PVBERTATE DECEDAT.** Itaque ex ratione successionis duo omnino sunt genera substitutionum. Prius *Vulgare* appellatur, posterius vero *Pupillare.* Et *vulgare* quidem ob id dicitur, quod cuivis personae & cuivis aetati eo genere substitui potest. Vel quod *legitima* sit ea substitutione, cum *pupillaris* moribus duntaxat introducta sit. *l. morib. 2. de vulg. & pupil.* In qua cum alteri haeres detur, legis auctoritate fulciri non potest, quae ut quis sibi haeredem faciat permittit, alteri vero, ut det, non permittit: adeo, ut ne fideicommissum quidem valeat, quo quis de haerede instituendo rogatur. *l. ex facto 17. ad Treb. l. filiusfamil. 114. §. ut autem 6. de leg. 1.*

[4.] Legitima autem quae sunt, *vulgaria* appellari constat; ut *actiones vulgares, legandi vulgaris modus*, in *l. si vir uxori 109. de legat. 1.* Et dies *vulgari modo* apposita legatis. *l. cum vulgari 4. de dote praeleg.* Et *clausula vulgaris* in *l. talis scriptura 30. de leg. 1.*

[5.] *Pupillaris* autem substitutione ex ea aetate appellatur, cui fieri solet; quae aetas, cum sibi haeredem facere non possit, ideo moribus receptum est, ut patres filiis impuberibus, quos habent in potestate, haeredes dent, si ante decedant quam in suam tutelam perveniant: neque resert, mares sint an foeminae: adoptivi an naturales: superstites an posthumi. Hodie tamen his duntaxat adoptivis substitui hoc genere potest, qui in potestatem transeunt adoptantium. de quibus scribit. *Imp. Lib. 1. institut. tit. de adoptionibus.* Neque haeredibus modo institutis filiis haeredem pater testamento dare potest, verum & exhaeredatis. *l. 1. de vulg. & pupil.* Et si legata ab eis relinquere non possit, onerat nanque filium, qui ab eo legat: qui filio haeredem dat, honorat, quem intestatum decedere non vult. Neque alia de causa, quem filio exhaeredato haeredem das, *substitutus* appellatur, quam quod filii eum haeredem facis. Neque enim secundus haeres est aut patris aut filii, ut *substitutus* proprie dicatur. Neque filio in altero eorum casuum succedit, quibus diximus, om-

nes omnino succedere substitutos. Etenim exhaeredato filio nemo ita substituitur, si **FILIUS HAERES NON ERIT.** multoque adeo minus ita, si **FILIUS HAERES ERIT.** Tum vero institutioni & substitutioni eodem tempore locus esse non potest: potest autem haeres patris & filii eodem tempore haereditatem obtinere, ille patris, hic filii. Postremo in diversis haereditatibus instituuntur, qui fieri potest, ut eorum alter dicatur *institutus*, alter *substitutus?* Neutra igitur earum formularum, quas Iureconsult. ponit in *l. 1. de vulg. & pupil.* uti potest, qui exhaeredato filio haeredem dat: Sed ita scribat oportet, **FILIUS EXHAERES ESTO, SI FILIUS IN PVBERTATE DECEDAT EI TITIVS HAERES ESTO.** Praeteritis autem filiis substituere nemo potest, quorum praeteritio iniustum facit testamentum. *l. postbumi 3. de iusto rup. & irrit. test. l. inter caetera 30. de liber & postbumi.* Nihil autem in testamento iniusto scriptum valere potest.

[6.] Ea autem testamenti pars, in qua pater filio haeredem dat, *filii testamentum* appellatur: non quia sit voluntatis eius iusta sententia, sed quia ei haeres detur. Ita autem testamentum filii est, ut tanquam appendix & pars paterni testamenti valeat, non ut ullis suis viribus nitatur. Vnde fit, ut non adita ex testamento patris haereditate, pupillares tabulae evanescant. *l. moribus 2. de vulg. & pupil.* Et ita duplices hae tabulae censentur, quasi unum sit testamentum, non solum iure Praetorio, quo septem signa utrisque his tabulis signandis sufficiunt. *l. patris & filii 20. de vulg.* verum etiam iure civili. Nam & una Falcidia in utrisque tabulis servatur. *l. in ratione 11. ad leg. falc. l. & si contra tabulas 35. de vulg. & pupil.* Et coniuncti re sunt, quorum alteri in paternis tabulis, alteri in pupillaribus eadem relictæ res est. *l. plane. 34. §. si coniunctim 9. de leg. 1.* Et quem pater necessarium sibi facere potest, & filio potest, ita ut, si servum filio substituat, servus necessarius haeres sit filii. Et fratrem posthumum substituere filio possit: valeatque ea substitutione iure civili, quamvis posthumus alienus sit frater fratri. *l. moribus 2. §. prius autem 4. de vulg.*

[7.] Et quia unum testamentum est, non refert, qua parte testamenti sibi quis haeredem scribat, & qua parte filio: meritoque *improbata* (ita enim legendum est in *§. prius, non comprobata*, de quo scripsimus *lib. 1. Letionum variar.*) *IVLIANI* sententia est, existimantis, prius sibi quem scribere haeredem oportere, deinde filio, neque convertere scripturæ ordinem.

[8.] Ut autem ex ratione succedendi duo substitutionum genera sunt, ita ex formula concipiendae substitutionis tria genera esse dicimus, aut enim casus vulgaris exprimitur, si **HAERES NON ERIT**, aut secundus casus si **HAERES ERIT,**

ERIT, aut neutro expresso casu verbo communis concipitur substitutio, hoc modo: **FILIO MEO TITIVM SVBSTITVO.** Quod *tertium substitutionis genus* vocat Iurisconsult. *I. iam hoc iure 4. de vulg. & pupul.* Quia interdum *simplex* est, interdum *reciproca*. Simplex hoc modo, **FILIO MEO TITIVM SVBSTITVO:** Reciproca hoc modo. **FILIOS MEOS INVICEM SVBSTITVO.** Verbum autem **SVBSTITVO** eo *commune* appellatur, quod casui utriusque conveniat, non quod directum sit & obliquum: hoc est quod & in directis substitutionibus & fideicommissariis locum habeat. Si enim **INSTITVO** verbum directum est, verbum directum erit **SVBSTITVO**: coniugata nanque sunt; neque aliud est substituere, quam *secundo loco instituere*. Et hae substitutionum divisiones ex Iureconsultorum fontibus haustae depromptaeque sunt.

[9.] Interpretes nostri aliam divisionem induerunt, ut quaedam sit *Vulgaris*, quaedam *Pupillaris*, quaedam *Breviloqua*, quaedam *Compendiosa*. Qua divisione stultius dici nihil potest. primum enim *exemplaris substitutio* cum eadem ratione introducta sit, qua *pupillaris*. *I. ex facto 43. de vulg. I. humanitatis 9. C. eodem. §. qua ratione. I. libro. II. instit. tit. de pupil. subst.* Potest & ipsa dici *pupillaris* exemplo patronorum tutelae, quae *legitima* dicitur, non quod *lege*. **XII. Tab.** quidquam de ea cautum sit nominatum, sed quia perinde accepta est per interpretationem, ac si verbis legis introducta esset. Eo enim ipso, quo haereditates libertorum libertarumque, si intestati deceperint, iusserat lex ad patronos liberosve eorum pertinere, crediderunt veteres, voluisse legem, etiam tutelas ad eos pertinere: cum & agnatos, quos ad haereditatem lex vocat, eosdem & tutores esse iussit. Quia plerumque, ubi successionis emolumen est, ibi & tutelae onus esse oportet. Quin & parentum tutela, quae ad exemplum patronorum tutelae introducta est, *legitima* & ipsa appellatur.

[10.] Cum igitur exemplo substitutionis, quae pupillo sit, introductum sit, ut furioso substituere liceat (quia & furor quaedam videtur pueritia furiosi, ut resipiscientia adolescentia) non male substitutiones dividentibus *exemplaris* haec substitutio *pupillaris* appellabitur. Et sane nulla alia in re a pupillari differt, nisi quod pupillo substitui quisvis potest, furioso autem certa duntaxat persona, de quibus in *I. humanitatis cit.* finiturque liberis supervenientibus furioso, quo modo pupillaris extingui non potest, cum ante annum decimumquartum ad generandum homo non sit idoneus. Quamvis autem commodius sit, in pupillari exemplarem comprehendere, quam genus novum facere substitutionis exemplarem substitutionem, tamen valde in hoc non repugno.

[11.] *Breviloqua* sane *substitutio* quemadmo-

dum quartum substitutionis genus constitutat, id vero non intelligo. Primo enim si *breviloqua substitutio* quartum genus est substitutionum, *fusa & explicata substitutio* quintum genus erit substitutionum, cum eadem sit disciplina contrariorum. Tum vero, vix est, ut orationis figura genus novum constitutat substitutionis: cum nec coniunctionem quidem per se faciat. *I. si ita quis haeredes. 14. de haeredib. instit.* Postremo, breviloquam substitutionem esse volunt Interpretes *reciprocam*, sed cur non & haec *breviloqua* sit, **TITIVM, MAEVIVM, LVCIVM SVBSTITVO:** cum breviter tres sint haeredes substituti? *I. si ita quis haeredes 14. de haeredib. instituen.* quo in loco eum, qui ita scibit, **TITIVM, LVCIVM, MAEVIVM AEQVIS PARTIB. INSTITVO,** dicitur *celeriter instituere*, hoc est, ut ego interpretor, *breviter*. Quod si brevis ea sit *institutio*, cur non & *brevis substitutio* ea sit **TITIVM, LVCIVM, MAEVIVM SVBSTITVO?**

[12.] Ex his appareat, in eo quoque peccare Interpretes nostros, qui tertium substitutionis genus *breviloquam* faciunt, de quo loquitur Iureconsult. in *I. iam hoc iure 4. cum tertium illud substitutionis genus sit, in quo verbo communis utimur, quod fieri etiam potest in substitutione, quae reciproca est, quemadmodum superius diximus.*

[13.] Neque imperite minus *compendiosam substitutionem* quintum substitutionis genus faciunt. Primum enim, si quae *compendio* fit *substitutio*, quintum substitutionis genus est, cur non & *substitutio*, in qua certa post pubertatem exprimitur aetas, sextum genus erit substitutionis? Nam *compendiosae substitutioni* ea opponitur, in qua certam aetatem testator designat. *I. precib. 8. C. de impuber. & aliis subst.* Tum vero, valde ridiculum est, *compendiosam substitutionem* quintum genus facere substitutionis: ac non potius *militarem substitutionem*, cuius *compendiosa species* est. *I. precib. cit.* Miles nanque, qui privilegio suo in substitutione impuberis uti vult, hoc est, pubertatem verbis directis substituendo egredi, id facit interdum aetate certa post pubertatem non expressa, eaque *compendio* dicitur *fieri substitutio*: vel certa expressa aetate post pubertatem: utro autem modo substituat, nihil refert, legitimis nanque haeredibus adolescentis semper haereditas servatur, & ii quasi ex causa fideicommissi bona militis restituent substituto. *I. precib. 8. C. & I. Centurio 15. π. de vulg.* In qua lege imperitissime idem Interpretes nostri existimant, factam a milite *compendiosam substitutionem*, cum certam aetatem post pubertatem Centurio substituendo expresserit. Sed de *militari substitutione* dicemus suo loco. De sententia autem *legis precib. & leg. Centurio scripsimus lib. I. lect. variar.*

[14.] Duo igitur genera erunt substitutionis ratione successionis. Conceptionis autem & formulae ipsius substitutionis tria. De quibus videamus, quando in quoque fiat extensio, quando item plenior interpretatio. Tum vero, quibus casibus quodque expiret. Postremo de fideicommissaria substitutione & miliari considerabimus.

[15.] Principio tamen videndum est, quando substitutioni vulgari & pupillari locus sit. Et quidem si extraneo haerede instituto, si **HAERES NON ERIT**, Titium substituas: repudiante haerede instituto, vel decedente non adita haereditate, locus substitutioni sit. Haereditatem nanque extraneus, nisi adeat, aut se pro haerede gerat, non acquirit: & per consequens ad suos haeredes non transmittit: Nisi forte impetrata deliberatione decesserit, vel *S. Consulto Claudio* impeditus non adierit; eo enim casu decedens, non adita haereditate, utilles actiones ad suos haeredes transmittit. *I. si quis gravi 3. §. eleganter 30. ad S. C. Syllania.* Quin & extraneorum haeredibus interdum succurrit. Praetor haeredibus nanque emancipati instituti, qui propter ventris praeteritionem, qui plenus erat, ex testamento haereditatem quaerere non potuit, bonorum possessionem decreto servat. *I. ventre. 84. de acquir. haeredi. I. sed & si 5. de honor. possession. contra tab.* Haeredibus item extranei instituti succurrit Praetor, adversus quem bonorum possessio contra tabulas petitur a filio, qui *subiectus* dicitur. *I. scriptus 12. de Carb. Edict.* Sed de his scripsimus. *lib. 1. lect. variar.* Sane si instituto auferatur haereditas, nihil ea res prodest substitutis. *I. si sequens 15. ad Syllania.* Quod si haeres institutus tempore testamenti in rerum natura non sit aut vivo testatore moriatur, substitutio sit institutio, quia mortuo testatore ei, quem testator substituerat primo, haereditas defertur. De quo superius diximus. Si autem filius, qui in potestate est, instituatur, ad excludendum substitutum satis est, non repudiari ab eo haereditatem. Cum enim haeres suus sit, aditio ei necessaria non est ad quaerendam haereditatem. *I. in suis 14. de suis. & leg. haered. existere* enim dicuntur sui haeredes, non fieri, atque ita accipendum est verbum **EXISTERE**. *I. ulti. de condi. instit.* *I. si filius 12. de vulg. & pupul.* *I. si filius haeres 16. de liber & posthum.* Quae sui haeredis, ut ita dicam, existentia, multos in iure effectus parit; de quibus alio loco scribemus.

[16.] Nunc ad ea veniamus, de quibus dicturos nos, proposuimus. Et videamus, quando in quoque genere fiat extensio. Et quidem si vulgari modo extraneo, vel liberis puberibus substituas, nullam extensionem recipit substitutio, neque ad alium casum porrigitur, quam ad eum, qui expressus est; nisi instituti sunt ii, qui in aliena sunt potestate. Quibus ad excludendum sub-

stitutum sufficit, quod alias haeredes faciunt. Nam in ipsis, ne puncto quidem temporis haereditas consistit. Quod si impuberibus liberis, quos in potestate habes, vulgariter substituas: recipit extensionem substitutio, ita ut siue haeres non sit filius, siue sit & intra pubertatem decedat, admittatur substitutus. Ex constitutione enim *D. MARCI*, qui in unum casum liberis impuberibus, quos in potestate habet, substituit, in utrumque substituere intelligitur. *I. iam hoc iure 4. de vulgari & pupillari. I. morib. 2. §. prius autem 4. eodem titu. I. Quamvis. 4. C. eodem.* Quam extensionem nulla impedit persona praeter matrem: quae si in medio sit, substitutio facta filio impuberi in priorem casum, ad secundum non trahetur, materque filio, qui haeres extitit, succedit, & quidem ita, ut ne bona quidem testatoris restituat, veluti ex causa fideicommissi; & hoc priore parte *leg. precib. 8. C. de impub. &c.* decidunt Imp. Extensio itaque prioris casus ad secundum a lege facta omnibus aliis personis obstat, quae ab intestato pupillo succedere possunt matri non obstat: cui & illud specialiter conceditur, ut de filii inofficio testamento queri possit, si modo testamentum filius fecerit. *I. Papinianus 8. §. sed nec impuberis 5. de inoffic. testamen.*

[17.] Neque existimandum est **IUSTINIANVM** in *I. ult. de institut. & substitutionibus* in controversiam revocare, matre in medio existente, trahaturne vulgaris casus ad pupillarem. Id enim multo ante decisum fuerat in *I. preci. cit.* Sed illam duntaxat quaestione tollere & removere a veteribus varie agitamat, *Admittaturne mater ex voluntate testatoris ad filii luctuosam haereditatem, quae a marito filio cohaeres datur, cui pater vulgarem dederat substitutum.* De quo scripsimus ad. *I. precib. lib. 1. lectio. variar.* Neque obstat. *I. Lucius Titius 45. de vulgar. & pupil.* ubi liberi eiusdem aetatis instituti & invicem substituti, matrem omnino excludunt, siue casus eveniat vulgaris siue pupillaris. Neque mirum, cum verbum **SUBSTITVO** commune sit, & ad casum utrumque pertineat: Et qui ita substituit, **EOSQVE INVICEM SUBSTITVO**, in omnem casum substituere videatur; idque ex vi ipsorum verborum: at cum casum vulgarem trahimus ad pupillarem & contra, repugnantibus id verbis facimus, ut mirum non sit, si adversus hanc legis extensionem, a verbis abhorrentem, mater admittatur. Adversus vero eam, quae verbis congruit, non admittatur. Duobus praeterea casibus non extenditur prior casus ad secundum, quorum alter ponitur in *I. quamvis 4. C. de impub.* Alter in *I. cum ex filio 39. §. filio 1. de vulgar. & pupil. π.*

[18.] Sed videamus, filio, qui in potestate est, quemadmodum vulgariter substitui possit, cum sius, etiam abstinentis se, haeres esse videatur. *I. cum quasi 30. de fideicomiss. liber.* Sed

Sed dicendum est, eius substitutionis casum tunc evenire, cum filius haereditate abstinet paterna: quamvis mortuo patre haeres statim ipso iure extiterit. Abstinens nanque filius, haeres a principio non fuisse intelligitur, qui sine ullo suo facto haeres extiterat; quod secus est in minore extraneo, qui adita haereditate Praetoris postea beneficio abstinet: nam eo casu certum est, vulgares expirare substitutiones. *l. post aditam. 5. C. de impub. &c.* De qua mox plura dicemus.

[19.] In secundum autem casum facta impuberi: quem in potestate habemus, substitutio, ad priorem casum trahitur, ita ut sive filius haeres sit, sive haeres non sit, admittatur substitutus: id quod in causa primum Curiana adversus **SCAEVOLAM** obtinuisse **L. CRASSVM** multis in locis testatur **M. TULLIVS**. Neque auctoritas iudicij Centumviralis tantum valuerit, ut eo iure certo uteremur, si **D. MARCI** constitutio non accessisset.

[20.] Neque tamen existimandum est, eam perpetuo fieri extensionem. Si enim pater impuberi duos det substitutos, alterum in primum casum, alterum in secundum, constat neutrum casum ad alterum trahi. *l. cum ex filio 39. §. filio 1.* Eius enim, qui ita substituit, quae voluntas sit, appareat. Voluntas autem testatoris plus quam ulla lex, quam ulla constitutio potest ac pollet, neque mater impedire potest huiusmodi extensionem, quae, si filius haeres non sit, nulla ex hac extensione iniuria afficitur: tum iniuria afficitur, cum luctuosa filii haereditate privatur.

[21.] Nunc de tertio substitutionis genere videamus, in quo neuter exprimitur casus, sed communi verbo **SVBSTITVO** sit. Ad quod genus ius constitutionis **D. MARCI** tractum esse videtur. Nam si pater filio impuberi hoc modo substituat. **FILIO MEO IMPUBERI TITIVM SVBSTITVO**, in utrumque casum videtur substituisse. Quae extensio non sit verbo repugnante, ut plenior potius interpretatio quam extensio videatur. Quamvis enim proprie legitimeque *substituere* videatur, qui vulgariter substituit, uterque tamen *vulgo substituere* dicitur. Quamobrem autem proprie dicatur *substituere*, qui vulgariter substituit, ratio illa fuerit, quod qui pupillo substituit, eveniente casu substitutionis pupillaris, haeres & quidem primus filii est. Acquisita enim per filium haereditas, filii haereditas esse incipit, & patris esse definit. At substitutus is proprie videtur, quem nobis haeredem facimus in defectum prioris.

[22.] Haec autem vel extensio vel, uti diximus, plenior interpretatio tertii generis, non semper sit. Si enim liberos disparis aetatis institutos invicem testator substituat: in eum dumtaxat casum intelligitur substituere, in quem utrique substitui potest. Absurdum nanque est, in alterius persona duas factas esse substitutiones,

in alterius vero unam. Si ergo testator imputberi, fratrem impuberem in casum utrumque substituere vult, exprimere casum utrumque oportet in substitutione, quam impuberi facit. *l. iam hoc iure 4. de vulg.* Haec eadem observanda sunt, sive filiis superstitibus, sive posthumis pater substituat.

[23.] Sequitur videamus, quando quodque genus expiret substitutionis. Et vulgaris substitutione puberi facta, adita haereditate expirat. *l. post aditam 5. C. de impub.* Quod adeo verum est, ut ne minore quidem, qui adierat, restituto, admittatur substitutus. *l. sed & si. 7. §. sed quod Papinianus 10. de minorib.* Nisi cum servus necessarius haeres minori substituitur. Hie enim ad substitutionem admittitur ex rescripto **D. SEVERI**. Praeter servum autem nulla alia persona. Neque obstat. *l. ex contractu. 44. de re iudic.* Ibi enim pupilla sua haeres abstenta, intelligitur haeres non extitisse. Quod secus est in extraneo minore, qui restituitur, qui, nisi suo facto, haereditatem acquisisse non potuit, de quo iam superius diximus. Tum vero pueri, quae in potestate est, datus substitutus in utrumque casum datus intelligitur, **SIVE HAERES PVELLA SIT, SIVE NON SIT:** ut nihil absurdum fiat, si substituti admittantur abstenta pupilla, quae patri haeres extiterit. Restituto autem minore extraneo, qui adierat, ad quem ea bona perveniant, quaeritur: an ad agnatos testatoris, an vero ad fiscum. Et Papinianus in *l. ulti. de success. edit. scribit, priore gradu, qui bonorum possessionem agnoverat, restituto, secundum gradum ad bonorum possessionem non admitti, sed fiscum invitari.* Vnde existimandum quoque est, restituto minore, qui adierat, locum fisco fieri, quasi in bonis vacantibus. Cum enim haereditas facta minoris fuerit, ad agnatos testatoris ea bona lege non redeunt. Tum vero prior causa est substitutorum, quam venientium ab intestato, at substitutos excludi constat, quare multo magis, qui ab intestato erant successi:

[24.] Pupillaris autem substitutione multis modis evanescit, irritaque fit. Si enim tempore mortis testatoris, filius in familia non sit, aut, si morte testatoris filius paters familias non fiat, expirare pupillares substitutiones, scribunt Iure-consulti in *l. cohæredi. 41. §. cum filio. 2. & in l. lex Cornelii 28. de vulg. & pupil.* Tempore item expirat pupillaris substitutione, nam & si longius tempus pubertate comprehensum in substitutione sit, finitur tamen pubertate substitutione. *l. in substitutione 31. de vulg. & pupil.* Post pubertatem enim verbis civilibus & directis, substitutionem pupillarem frustra fieri a pagano convenit. *l. verbis civilibus. 7. de vulg. & pupil.* Atque ita frustra, ut ne ad causam quidem fideicommissa ea substitutione trahi possit. Nec enim frustra fieri dicitur, quod aliquam habet vim aliquamque

quamque efficientiam, sed quod omnino inefficax est: Tum vero, si a pagano facta substitutio impuberi verbis directis post pubertatem, valet iure fideicommissi, inter paganum & militem nihil interest, a quo facta post pubertatem substitutio sive compendio, sive certa expressa aetate, in id duntaxat valet, ut legitimi impuberis haeres, veluti ex causa fideicommissi bona militi restituant; cuius privilegium ipsius bona non egreditur. *l. preci. 8. cit.* Neque obstat. *l. Scaevola* 76. *ad Trebel.* ubi verbis directis facta substitutio ad causam fideicommissi trahitur; quae propter locum duntaxat minus idoneum, in quo fit, iure directo valere non potest. Non quod aut ab eo facta sit, aut ei, a quo & cui fieri iure directo non potuit: sed quod legitime aliquin facta & convenienter iuri civili in codicilis sit collocata loco & institutionibus & substitutionibus inepto. Sed cum post pubertatem frustra paganus impuberi substituat, quaeramus cum **PAPINIANO** in *l. verbis civilib. 7. de vulg. & pup.* admittaturne tanquam cohaeres, qui tanquam substitutus non admittitur. Et dicendum est, non admitti, ne contra voluntatem testatoris fiat, si interea totum filius non habeat, quod ei pater reliquit. Similis quaestio tractatur a **SCAEVOLA** in *l. Lucius Titius* 53. *de haered. instit.* Causam autem quaestioni dat similitudo & affinitas cohaeredis & substituti; quam Iureconsult. notat in *l. Titio & Maevio* 61. §. *Iulianus* 1. *de leg. ii.* Voluntas praeterea testatoris in *l. verbis civilib. cit.* quaestioni causam dare videbatur. Cum enim testator inter impuberem & substitutum temporibus haereditatem dividat, eaque divisio substitutum nihil adiuvet, quia post pubertatem frustra impuberi substituitur: in id saltem videbatur valere debere, ut inter institutum & substitutum haereditas aequis portionibus divideretur.

[25.] Superest, de *fideicommissaria substitutio-*ne & *militari* item consideremus. Et *fideicommissaria substitutio*, substitutio non est, cum neque *institui* neque *substitui* nisi haeres nemo dicatur. At per *fideicommissum* haeres nemo fieri potest, neque haereditas ea dicitur, quae *fideicommisso* relinquitur. *l. ii. §. haereditas* 4. *De iur. codic.* Haereditas nanque nomen iuris est, *fideicomissa* autem iuris non esse constat: cum ipso iure ad id, quod rogatur, obligari nemo possit. Itaque ex causa fideicommissi dominium non transferri, sed duntaxat possessionem, scribit Iureconsult. in *l. qui usumfructum* 3. *si usufr. petra.* Ideoque non per actiones petebantur *fideicomissa*, sed duntaxat per Praetorem, qui de *fideicommisso* cognoscebat; licet enim *fideicommissarius* rei vindicatione agat, licet furti agat non tamen sequitur, iure Quiritium eum dominum esse; nam ut vindicare quis possit, ut furti agere, satis est, rem in eius esse bonis,

quam dominorum differentiam notat **THEOPHILVS** in *tit. de liber.* in verbo **NEC DOMINI MANVMISSORIS.** ita enim eo loco legendum est, non **DOMINI.** notat *Imp. in l. vii. C. de nudo iur. Quir. tol.* quae lex sine hac dominiorum divisione intelligi non potest.

[26.] Quamvis autem substitutio non sit, affinitate tamen non levi pupillarem substitutionem contingit; nam & in casum concipitur mortis & quae sitae haereditatis. Quamobrem uno titulo pupillarem substitutionem & fideicommissariam colligavit Imper. *lib. ii. instit.* Quae autem in casum mortis non concipitur, non *fideicommissaria substitutio* sed *fideicommissum* appellatur; in casum autem quae sitae haereditatis eo concipi necesse est, quia *fideicommisso*, qui haeres non est, obligari non potest. Vno tamen in casu *fideicommissaria substitutio* in casu non quae sitae haereditatis fieri potest, cum scilicet omnino rogarunt venientes ab intestato, hoc modo, **SI FILIVS HAERES NON ERIT, QVI MIHI AB INTESTATO SVCCEDENT, HAEREDITATEM MEAM RESTITVANT, Vel etiam simpliciter, nulla mentione facta eorum, qui ab intestato successuri sunt, hoc modo, SI FILIVS HAERES NON ERIT, HAEREDITATEM MEAM VOLO TITIO RESTITVI.** qui est casus *legis Eam quam.* 14. *C. de fideicom.* ad quam scripsimus *lib. i. lect. variar.*

[27.] Differt autem substitutio haec *fideicommissaria* a pupillari non una in re. Primum enim quivis per *fideicommissum* substituere cuilibet potest. Pupillarem autem substitutionem parentis duntaxat facit, neque cuivis, sed liberis impuberibus, quos habet in potestate, tum vero, pupillariter frustra quis substituit post pubertatem directo. *Fideicommissaria* autem substitutio pubertatem egredi potest. Tertio, in *fideicommissaria* substitutione secundus casus ad primum trahitur. Quarto & postremo, pupillaris substitutio directa per verbum **SVBSTITVO** fieri potest. *Fideicommissaria* non potest. Aliae fortasse colligi differentiae possent, sed haec in praesentia sufficient.

[28.] *Militaris* autem *substitutio* ea dicitur, quam solus miles facere potest, ut si miles filio testamentum faciat & sibi non faciat. *l. miles ita* 41. §. *ult. de milit. testa.* Item si miles ultra pubertatem impuberi substituat, sive expressa aetate sive compendio. *l. precib. cit.* Quae tamen substitutio ad causam trahitur *fideicommissi* post pubertatem, ut superius diximus. Institutiones item quaedam sunt militares; ut cum miles ex tempore, vel ad tempus, vel in certa re haeredem quem instituit; & ad titulum *de vulg. & pupilla.* haec praefatos esse sufficiat ei, qui a libris Iureconsultorum iuventutem revocare non studet: unde ius civile hauriendum est, non ex impurissimis Interpretum lacunis.

A N T O N I V S
G O V E A N V S
I V R E C O N S V L T .

*TITVLVM DE VVLGARI, ET PVPILLARI
SVBSTITVTIONE,*
[REPETITA PRAELECTION.]

I O A N N E M T R V C H I V M
V. C. DELPHINATVS PRAESIDEM.

AVIOTIA
AVIATEO
IOANNITRVCHIO
V. C. DELPHINATVS PRAESIDI
ANTONIVS GOVEANVS S.

VOX, vir Clarissime, me cum meo isto munere derideas:
Sum enim sane ineptus, qui, ut pravis auditorum meorum studiis satisfacerem, cum BARTOLO dimicare animum induxerim. Verum id neque perpetuo opere,
& strictim ac breviter facio, ut cuivis appareat invitum facere, neque in mustaceo, ut in proverbio est, laureolam quaerere voluisse. Illa mibi iucunda laus sit, si lucubrationes nostras neque iuventuti inutiles iudicabis, neque indignas, quae ad te scribantur.
Vale. Gratianopoli Cal. August. An. a Christo nato MDLVI.

MVICHYATMENIAOI
AC DELPHINATVS PRAESIDI

ANTONIVS GOVEANVS

I V R E C O N S V L T V S

A D

TITVLVM DE VVLGARI, ET PVPILLARI SVBSTITVTIONE.

[REPETITA PRAELECTIO.]

S V M M A R I V M.

1. Quot capita quaestio substitutionum contineat & quomodo definiatur substitutio?
2. ACCVRSII definitio a BARTOLO impugnata.
3. Deinde etiam a LANCELOTO POLITICO.
4. Qui putat, in Legatis, Fideicommissis & mortis causa donationibus, quemadmodum substitutiones, ita & veras esse institutiones.
5. Refutatur.
6. Verbi substituo longe alia est significatio, quam LANCELOTVS putavit.
7. Putat LANCELOTVS fideicommissariam institutionem, quemadmodum & substitutionem dici.
8. Cur substituti tertio & quarto gradu secundo gradu instituti dicantur?
9. L. 19. de milit. test. quomodo intelligenda?
10. Proba quamvis sit Accvrsi definitio, clariores tamen sunt Caii & Pauli definitiones.
11. Ad primam LANCELOTI obiectionem respondeatur & variae ll. opponuntur.
12. An duo sint heredum gradus, cum posthumus nepos instituitur?
13. Ad cetera argumenta opposita breviter respondetur.
14. Male ACCVRSIVS aliquae sex substitutionum genera faciunt.
15. Exemplaris substitutio pupillari recte continetur, licet in paucis diversa.
16. Breviloqua substitutio quartum substitutionis genus non constituit.
17. Male etiam quidam Interpp. breviloquam tertium substitutionis genus faciunt.
18. Imperite quoque compendiosam substitutionem quintum genus faciunt.
19. Dividitur substitutio vel ex casuum vel ex formularum varietate.
20. Vulgaris substitutio unde dicta? GVIL. de CVNEO quinque appellationis huius rationes offert, quae examinantur singulae.
21. Quibus BARTOLVS sextam addit.
22. Substitutiones vulgar. eadem lege confirmantur, qua institutiones.
23. Pupillaris substitutio moribus est introducta.
24. Pupillaris substitutio unde dicitur?
25. Vulgaris substitutionis tres species facit BARTOLVS.
26. Minus recte tacitam vulgarem vocat, quae in pupillari continetur.
27. Aliter vulgaris substitutio ab auctore dividitur.
28. An casus si heres esse non potuerit ad secundum casum quoque extendatur?
29. An vulgarem substitutionem semper praecedere debeat institutio?
30. Quinque sunt effectus substitutionis ex sententia BARTOLI.
31. Num servus institutus ita semper dominum faciat heredem, ut substituto nunquam sit locus?
32. An cesset substitutio, si speretur restitutio in integrum?
33. Quaer. si decedat institutus ante aditam hereditatem, heredisne heres an substitutus preferatur?
34. An, si Monachus institutus hereditatem adire recusat, Coenobium adire possit?
35. An filii repudiatio noceat patri, ita ut ipsi preferatur substitutus?
36. Num fideicommissarius preferatur vulgariter substituto?
37. Vtrum, si indignus heres institutus hereditatem non adeat, fiscus an substitutus admittatur.
38. An institutus & substitutus casu aliquo simul admittantur?
39. Secundus effectus vulgaris substitutionis est, ut testamentum sustineat.
40. Si primo gradu institutus eo modo esse heres non possit, quo defunctus voluit, an substitutus admittatur?

41. An & isto casu filio emancipato nepos praefatur?
 42. An testamentum vires sumat a vulgari, quae continetur in expressa pupillari, an vero requiratur primi gradus aditio?
 43. An mortuo filio vivo patre admittatur substitutus ex tacita vulgari?
 44. Num substitutus postumo in secundum casum, non nato postumo admittatur ex tacita vulgari?
 45. De tertio vulg. substitutionis effectu.
 46. Quaer. an, si mater in medio sit, vulgaris ad pupillarem trahatur?
 47. An expressa vulgaris, facta furioso, contineat tacitam exemplarem?
 48. Quis quartus vulg. substitutionis effectus? an per vulgarem expressam, quae continet pupillarem, succedatur pupillo?
 49. An vulgaris, quae in expressa pupillari continetur, ad bona trahatur pupilli?
 50. Vtrum tacita vulgaris matri noceat?
 51. Num per aditionem ex tacita vulgari confirmetur expressa pupillaris?
 52. An mater ex vulgari, partim expressa partim tacita, in casum non expressum admittatur?
 53. An praelegata veniant in vulgarem substitutionem.
54. Quintus ex mente BARTOLI vulg. substitutionis effectus est, ut de suo ac necessario herede fiat voluntarius.
 55. Quae cause impedian vulg. substitutionis effectum?
 56. An, si plures sint heredes instituti, aditione unius omnes vulg. substitutiones extinguantur?
 57. An locus fit substituto vulgari aduersus aditionem hereditatis restituto minore?
 58. An nudum nomen sui heredis impedit vulgarem substitutum?
 59. An qui, cum posset hereditatem adire, petiat bonorum possessionem, locum substituto faciat?
 60. An substitutus admittatur, cum institutus conditioni nolit parere?
 61. Pupillaris substitutio irrita fit, emancipatione impuberis, cui pupillariter pater substituerat.
 62. Num valeat in primum casum facta substitutio, egresso eo pubertatem, cui pater in secundum casum substituerat?
 63. An pupillaris substitutio puberi vel extraneo facta, vulgarem ex D. MARCI constitutione contineat?



[1.] M NIS substitutionum quæstio iis capitibus continetur: Quid sit substitutio: Quot, & quae eius species: Qui effectus cuiusque speciei: Quibus modis quaque finiatur. Substitutio igitur, autore CAIO lib. II. Institut. est secundi haeredis appellatio: autore PAVLO in l. ex facto 43. §. Lucius 2. hoc tit. est institutio secundi haeredis. ACCVRSIUS secundam institutionem diffinivit, cui diffinitioni opponit BARTOLVS l. moribus 2. §. sed & si quis ita. 5. infra eod. Quo in loco institutionem praecedit substitutio, hoc modo, SI FILIVS HAERES NON ERIT, SEIVS ESTO. FILIVS HAERES ESTO.

[2.] Ad quam obiectionem BARTOLVS ne Philosophos ignorare videatur, respondet, ordinem intellectus non scripturae spectandum; intelligi namque utique praecedere institutionem, quoquo tandem loco fiat. Potuit, meo iudicio, dilucidius cum Iurisconsulto eodem isto loco respondisse, ordinem successionis, non scripturae attendi oportere: eumque institutum dici, cui primo loco haereditas ex testamento deferatur: cui secundo vel tertio loco, substitutum.

[3.] Post Bartolum LANCELOTVS POLYTVS Accursii diffinitionem acrius vehementiusque oppugnavit. Nam neque recurrere cum diffinito diffinitionem videri, cum neque omnis substitutio secunda sit institutio: nec vicissim,

omnis secunda institutio, substitutio: & fideicommissariam substitutionem dici, quae tamen institutio non sit: postremo, tertio & quarto gradibus substitui posse, non solum secundo.

[4.] Non esse autem omnem substitutionem secundam institutionem ex eo apparere, quod in legatis, fideicommissis, & donationibus causa mortis fieri dicantur substitutiones. l. unica. §. sin autem. 7. C. de caduc. toll. l. ut haeredibus 50. infra de leg. II. l. ei, cui 10. de don. causa mort. l. cum pater 77. §. a te peto 32. de leg. II. Rursum, non omnem secundam institutionem esse substitutionem ex eo intelligi, quod si quis ita scribat, LVCIVS HAERES ESTO, SEIVS HAERES ESTO, non sit Seius substitutus, quamvis secundo loco haeres institutus. Tum vero, militem unum ad tempus, alium ex tempore haeredem instituere. l. quaerebatur 19. de militari testam. Neque tamen substitutum dici ex tempore institutum. Ad primum illud de legatis, fideicommissis & donationibus causa mortis, in quibus substitutiones fiunt, respondet idem LANCELOTVS, veras institutiones in legatis, fideicommissis, & donationibus causa mortis fieri, quemadmodum & substitutiones, idque ex propria vi & significatione verbi. Neque mirum id nobis videri vult, cum & actiones dicantur institutiones, & obligationes institutiones. l. 2. de origine iur. l. ex hoc iure 5. de iust. & iure. Et fulloniae institutiones. l. apud 3. de aqua pluv. arc.

[5.] Mihi longe aliud iudicium est. Nam institutionem in fideicommissis proprie non dici

intelligimus, ex l. ea, quae 8. de cond. instit. In fideicommissis quoque (ait Iureconsult.) oportebit eos, qui de fideicommissis cognoscunt, subsequi Praetoris Edictum. Nihil autem necesse sit Edictum Praetoris subsequi, si in fideicommissis proprie dicitur substitutio. Quin, cum isto eodem loco scribat Iureconsult. pertinere Edictum de conditionibus institutionum ad legata & donationes causa mortis, significat non obscure, in legatis & donationibus causa mortis institutiones non proprie dici. Quid enim necesse sit admonere, ad legata quoque pertinere titulum de condit. instit. si quemadmodum haeredis, ita & legatarii proprie dicitur institutio? Vlpian. in l. si quis pecuniam 4. si quis omis. causa test. Quanquam de haeredibus instituendis videatur Praetor loqui, attamen etiam ad alios, quam haeredes, haec res serpit: ut si sit legatarius, a quo fideicommissum relictum est, & hic quidem egisset, ut omittat rem.

[6.] Iam vero verbi Substituo, longe alia significatio est, quam LANCELOTVS existimavit. Ponere namque & collocare, instituo significat. Ita dixit TERENTIVS in animo instituere: Adelph. I. I. 13. Phorm. II. I. 10. ita M. TVLLIUS ad Atticum. in loco illo inaugurato VECTIVM instituit: ut quem e vita emigrantes, in iuris nostri & patrimonii locum ponimus, dicatur institutus. Adeo ut per se instituere, haeredem scribere significet. l. eam, quam 14. C. de fideicomiss. Vnde fit, ut testatoris, & haeredis eadem persona sit, & quae testatori, & in testatorem, eadem haeredi, & in haeredem actiones competent. Neque mover, quod interdum substitutio in legatis fieri dicatur: verbum enim Substituo, subrogare etiam & summittere significat. Ita sumitur in l. arbores 59. in l. vel inutilium. 69. de usufruct. in l. I. de alie. iud. mutand. causa fact. in l. si grege legato 22. de leg. 1.

[7.] Ad secundam obiectionem idem LANCELOTVS respondet, fideicommissarium institutionem dici quemadmodum & substitutionem. l. quaerebatur 19. de milit. testam. Quin imo (ait Iureconsult.) & si codicillos ante fecerat, poterit eos per testamentum sequens cavendo, in potestatem institutionis redigere, & efficere directam, quae erat precaria. Quo ex loco liquido mihi colligi videtur, precariam, institutionem non esse, cum redigi dicatur ad potestatem institutionis. Tum vero, qui per alienas manus capit, quomodo institutus dici potest? Cui igitur restitui haereditas iubetur, is non simpliciter dicetur substitutus, sed per fideicommissum substitutus: de quo scripsimus lib. I. lect. variar. ACCVRSI autem definitio, eius substitutionis est, quae simpliciter, proprieque dicitur substitutio, & ex qua fieri quis haeres potest. Nam & CAIVS, ut iam diximus, secundi haeredis appellationem substitutionem definitivit, & PAVLVS institutionem secundi haeredis. Fideicommissarium autem ac-

cepta haereditate haeredem non fieri constat: cum, qui semel haeres extitit, semper haeres maneat. l. ait Praetor 7. §. sed quod Papinianus 10. de minor. Itaque in fideicommissarium utilles, & obliquae duntaxat dantur actiones. l. 11. ad Treb. Tum vero, haeres dominum significat. §. ulti. de haered. qual. & diff. lib. II. Instit. argl. l. his verbis 48. de haered. instit. ubi recte illa institutio fieri dicitur, TITIVS HAEREDITATIS MEAE DOMINVS ESTO. Dominum autem iustum non transferri ex causa fideicommissi, intelligi potest ex l. qui usumfructum. 36. si usufr. petat. in qua rationem illam dubitandi esse alibi scripsimus, quod cui ususfructus ex causa fideicommissi traditus est, usumfructum acquisivisse non videtur, sed eius duntaxat possessionem. Vnde fit, ut ex causa legati ususcapio sequatur, ex causa fideicommissi non item. Neque enim existimandum est, ex quavis causa possidentem ususcapere posse. l. sequitur 4. l. non solum 33. de usuc. arg. l. si duo. 13. §. idem 2. de iureiur. Male igitur, Substituo, vulgo eo verbum commune dici existimatur, quia sit & directum, & obliquum: de quo plura dicemus ad l. iam hoc iure.

[8.] Ad tertiam obiectionem, de tertio & quarto gradibus, non placet LANCELOTO, neque item mihi vulgaris responsio, per secundum gradum ulteriorem etiam intelligi, ut per secundas nuptias omnes post primas: Quare omnes substitutos, eo dici secundo gradu institutos putat, quia omnes omnium graduum haeredes primo sint substituti: ut tertius sit primo substitutus, quartus primo, & ita deinceps, quemadmodum & secundus. Quae si bona ratio est, quid necesse est in l. si Titius 27. & in l. cobacredi 41. hoc tit. illud decidi, substitutum substituto esse & instituto substitutum? Tum vero, si tertius & quartus primo sint substituti, quemadmodum & secundus, quid est, quod non omnibus simul haereditas post primum defertur? Postremo, si is mihi dicitur substitutus, cui post me haereditas defertur, tertius secundo, quartus tertio, erit substitutus. Veram igitur rationem rei huius ad l. I. buius tit. exponemus. Iam vero, quod de illis substitutionibus obiicit, CAIVS HAERES ESTO, SEIVS HAERES ESTO, levius admodum obiectio est: nemo enim dubitat, successionis spectari oportere ordinem, non scripturae, ut iam diximus.

[9.] Ad l. quaerebatur 19. de milit. testam. respondet, ex tempore a milite institutum esse substitutum. Quod mihi nullo modo probari potest. In primis enim, adita ab instituto haereditate, expirant vulgares substitutiones. l. post aditam 5. C. de impub. Tum vero, cui secundus loco ex testamento defertur haereditas, is substitutus est. Instituto autem ex tempore, suo tempore primo loco haereditas defertur. Postremo, vulgaris omnis substitutione in primum casum fit: quo modo non sit ista ex tempore institutio,

quae mihi non *substitutio* videtur, sed *militaris institutio*. Neque tamen negaverim, & hanc ex tempore institutionem posse late sumpto vocabulo, *substitutionem* appellari: ut in *l. miles ita 41. de milit. testam.*

[10.] Defensa igitur est adversus **BARTOLVM & POLITVM ACCVRSI** definitio, quamvis illae **CAII, & PAVLI** clariores sint, minusque multas reprehensiones patiantur. Nam legatarios, fideicommissarios, & donatarios aper- te reiiciunt & excludunt, & illis etiam substitutionibus convenient, quae secundo semper gradu consistunt.

[11.] Possimus & sic ad primas duas **LANCELOTI** obiectiones respondere: Haeredis institutionem quandam esse primam, quandam secundam. Primam in nomine generis manere, ut ius civile, pactum, adoptionem, cognationem, iurisdictionem: Secundam autem appellari *substitutionem*. Ego adversus definitiones has oppono. *l. 1. buius tit.* in qua *exhaeredato filio substitutio fieri posse*, dicitur: quae tamen secunda institutio non videtur: cum neque testatoris, neque filii secundus haeres sit, quem filio exhaeredato pater substituit. Filii enim primus haeres videtur, patris neque primus neque secundus. Tum vero filio exhaeredato nemo sic scribit, **SI FILIVS HAERES NON ERIT:** multoque adeo minus sic, **SI FILIVS HAERES ERIT.** Quin nec per fideicommissum exhaeredato substitui potest. *l. Cohaeredi. 41. §. cum filiae 2. hoc tit.* nemo enim restituere potest, quod non accepit. Postremo, in diversis haereditatis vix est, ut institutio & substitutio reperiantur. Oppono *l. Gallus 29. de lib. & post. l. si pater 9. hoc tit.* ubi *postbumi instituti* dicuntur, quamvis secundo gradu scribi videantur. *l. cum in testamento 37. de haered. inst.* Oppono *l. cum ex filio 39. §. quidam quatuor 2. hoc tit.* in quo §. gradu secundo institutus admittitur una cum institutis ad portionem vacantem. Certi autem iuris est, institutos in iure accrescendi substitutis anteferri. Ad primam obiectionem respondeo, impuberis filii quamvis exhaeredati successionem, secundam esse: utpote a qua incipere testamentum non possit. *l. moribus 2. §. ult. hoc tit.* Eoque, qui impuberi exhaeredato haeredem dat, *substituere* dici, & nisi substituat, non recte haeredem dat: de quo plura ad *d. l. moribus*.

[12.] Ad secundam obiectionem **ACCVRSIVS & BARTOLVS** respondent, in *l. Gallus. & in l. si pater.* accipi institutionem pro *substitutione*. Nam ex *l. cum in testamento cit.* constare, duos esse haeredum gradus, cum posthumus nepos instituitur, ita uti **GALLO AQVILIO** placuit. Quod ego neque credo, neque crediturus sum, etiam iuratis. Etenim posthumo, qui ita instituitur, **SI FILIVS VIVO AVO MORIATVR**, non potest nisi primo loco haereditas deferri. Neque obstat. *l. cum in testamento.* in

qua *duo haeredum gradus fieri* dicuntur: non quia alteri secundum alterum haereditas defera- tur, verum quia filius & nepos ad haereditatem simul non admittantur. Si enim posthumus patri suo substituitur, stulte dubitatur, num posthu- mo substitutus, eo non nato, cum patre simul admittatur: constat enim, substitutum substituto una cum instituto admitti non posse; verum, quia uterque institutus est, non nato posthumo una cum filio admittendus videbatur posthumo sub- titutus, ac si filius posthumum nepotem habe- ret cohaeredem.

[13.] Ad §. *quidam quatuor haeredes*. respon- deo, eodem tempore & substituto & reliquis cohaeredibus, deferri haereditatem, quasi ca- duca facta institutione eius, qui testatore vivo mortuus est. Opponat postremo aliquis ex **BARTOLI** sententia, **SI FILIVS MEVS ME VIVO MORIATVR, &c. NEPOS POST MORTEM MEAM NATVS HAERES ESTO:** substi- tutionem esse: neque tamen secundam esse institutio- nem; cui obiectioni **BARTOLVS** respon- deat, iisdem verbis & nepotem posthumum sub- titui, & filium institui. Sed nos iam demon- stravimus ex formula **GALLI** institui, non sub- titui posthumos nepotes. Et quod **BARTOLVS** putat, filium ab eo institui, qui ita scribit, **SI FILIVS HAERES NON ERIT, NEPOS HAERES ESTO;** manifesto falsum convincitur ex *l. Gallus. §. idem credendum 10.* Et §. in *omnibus 16. l. si quis eum 16. §. si suo. 1. hoc tit.* Sed si (ait **POMPONIVS**) secundum testamentum ita fecerit pater, si vivo se filius decedat: potest dici non rumpi superius testamentum: quia secun- dum non valet, in quo filius praeteritus est.

[14.] Substitutionum genera sex **ACCVRSIVS** facit, quem vulgo Docti sequuntur, *vulgarem, pupillarem, exemplarem, breviloquam, compen- diosam & fideicommissariam.* Quae divisio quas ob res mihi non placeat, alio loco exposuimus.

[15.] Primum enim *exemplaris substitutio*, cum eadem ratione introducta sit, qua *pupillaris*, *l. ex facto. 48. hoc tit.* *l. humanitatis 9. C. eod* §. *qua ratione 9. de pupill. lib. II. Instit.* potest & ipsa dici *pupillaris*, exemplo patronorum tutelae, quae *legitima* dicitur: non quod *lege XII Tabb.* quicquam de ea cautum sit nominatum: sed quia perinde accepta est per interpretationem, ac si verbis legis introducta esset. Eo enim ipso, quo haereditates libertorum libertarumque, si intestati deceperint, iussit lex ad patronos liberorum eorum pertinere, crediderunt veteres, voluisse legem etiam, tutelas ad eos pertinere: cum & agnatos, quos ad haereditatem lex vo- cat, eosdem & tutores lex esse iussit: quia ple- rumque, ubi successionis emolumen est, ibi & tutelae onus esse oportet. Quin & parentum tutela, quae ad exemplum patronorum tutelae introducta est, *legitima* & ipsa appellatur. Cum igitur exemplo substitutionis, quae pupillo sit,

introductum sit, ut furioso substituere liceat, (quia & furor quaedam videtur *pueritia* furiosi, ut resipiscencia, *adolescentia*) non male substitutiones dividentibus *exemplaris* haec substitutio *pupillaris* appellabitur. Et sane nulla alia in re a pupillari differt, nisi quod pupillo substitui quis potest: furioso autem certa duntaxat persona, (de quo in *l. humanitatis* 9. *Cod. b. t.*) finiturque liberis supervenientibus furioso: quo modo pupillaris extingui non potest, cum ante annum decimumquartum ad generandum homo non sit idoneus; & ut accidere aliquando possit, ut gignat, tamen iustas nuptias non contrahit impubes. Quamvis autem commodius sit, in pupillari exemplarem comprehendere, quam novum genus facere substitutionis exemplarem substitutionem, tamen valde in hoc non repugno.

[16.] *Breviloqua* sane substitutio quemadmodum quartum substitutionis genus constitut, id vero non intelligo. Primo enim, si breviloqua substitutio quartum genus est substitutionum, *fusa* & *explicata* substitutio quintum genus erit substitutionum: cum eadem sit disciplina contrariorum. Tum vero, vix est, ut orationis figura genus novum constitut substitutionis: cum nec coniunctionem quidem per se faciat. *l. si ita quis haeredes.* 66. *de haered. instit.* Postremo breviloquam substitutionem esse volunt Interpretes reciprocantem. Sed cur non & haec breviloqua sit, *TITIVM, LVCIVM, MAEVIVM SVBSTITV*O: cum breviter tres sint haeredes substituti? *l. si ita quis haeredes.* 66. *de haered. instit.* quo in loco eum, qui ita scribit, *TITIVM, LVCIVM, MAEVIVM, AEQVIS PARTIBVS INSTITV*O, dicitur celeriter *instituere*, hoc est, ut ego interpretor, *breviter*. Quod si *brevis* ea est *institutio*, cur non & *brevis substitutio* ea sit, *TITIVM, MAEVIVM, LVCIVM SVBSTITV*O?

[17.] Ex iis appetet, in eo quoque peccare Interpretes nostros, qui tertium substitutionis genus (de quo loquitur Iureconsult. in *l. iam hoc iure. hoc tit.*) breviloquam faciunt: cum tertium illud substitutionis genus sit, in quo verbo communi utimur: quod fieri etiam potest in substitutione, quae *reciproca* non est, quemadmodum superius diximus.

[18.] Neque imperite minus *compendiosam substitutionem* quintum substitutionis genus faciunt. Primum enim, si quae compendio sit substitutio, quintum substitutionis genus est, cur non & substitutio, in qua certa post pubertatem exprimitur aetas, sextum genus erit substitutionis? nam compendiosae substitutioni ea opponitur, in qua certam aetatem testator designat. *l. precibus* 8. *C. de impub.* & al. Tum vero, valde ridiculum est, compendiosam substitutionem quintum genus facere substitutionis, ac non potius militarem substitutionem, cuius compendiosa species est. *d. l. precibus.* Miles namque, qui privilegio suo in substitutione impuberis uti

vult, hoc est, pubertatem verbis directis substituendo egredi, id facit, interdum aetate certa post pubertatem non expressa: eaque *compendio fieri* dicitur substitutio: vel certa expressa aetate post pubertatem. Vtro autem modo substituat, nihil refert: legitimis namque haeredibus adolescentis semper haereditas servatur: & ii quasi ex causa fideicommissi bona militis restituent substituto. *l. precibus. cit. & l. Centurio* 15. in qua imperitissime iidem Interpretes nostri existimant, factam a milite compendiosam substitutionem: cum certam aetatem post pubertatem Centurio substituendo expresserit.

[19.] Dupliciter igitur dividit posse videtur substitutio, vel ex casuum, vel ex formularum varietate. Casus, quibus admittuntur substituti, sunt, *SI HAERES NON ERIT*, aut, *SI HAERES ERIT*: formulae tres, *SI HAERES NON ERIT*, *SI HAERES ERIT*, &, *MAEVIVM TITIO SVBSTITV*O. Illa substitutio *SI HAERES NON ERIT*, *vulgaris*, *SI HAERES ERIT*, *pupillaris*: *TITIO MAEVIVM SVBSTITV*O; *tertii generis substitutio* appellatur.

[20.] Et *vulgaris* quamobrem dicta sit, expositum a nobis alio in loco est. *BARTOLVS*, ex sententia *GVLIELMI* cuiusdam *DE CVNEO*, quinque rationes assert appellationis huius. Prima est, *quia omnibus pateat*: itaque *quaestionem dici vulgarem*, in *l. vulgaris*. 21. *de furt.* Et in *l. in ratione* II. §. *quod vulgo* 5. *ad leg. Falcid.* Verum ratio ista ab *AZONIS* ratione non differt, quae *BARTOLO* non probatur. Tum vero, *vulgaris quaestio* non ea dicitur, quae *omnibus patet*, sed quae *vulgo* a *Prudentibus agitatur*, & tractatur: & *quae vulgo* *Iureconsulti dici* scribunt, *Prudentum communes sententiae sunt*, cuiusmodi illa est, unam *Falcidi* in duplicibus tabulis servari. *d. §. quod vulgo*. cuiusmodi & illa, bonorum possessionem contra tabulas contra legem esse. *l. quod vulgo* 19. *de honor. possess. contra tab.* Cuiusmodi & illa, possessio-
nis causam neminem sibi mutare posse. Secunda ratio est, *quia sit directa*: ita enim in *l. quidam cum*. 46. *de haeredibus instit. vulgarem actionem* appellari. Verum ista ratione *pupillaris* dici possit *vulgaris*, quae & ipsa *directa* sit, verbisque civilibus fiat. *l. verbis civilibus* 7. *hoc tit.* Tum vero, non eadem ratione *actionem directam*, & *directam substitutionem* dici, ex eo intelligi potest, quod actioni directae, *utilis*, substitutioni directae, *obliqua* opponitur: quorum autem contraria diversa sunt, ipsa quoque diversa esse necesse est. *Action* quidem *directa* ea appellatur, quae ex ipsis verbis, vel legis, vel Edicti competit, quae vero ex sententia legis, vel Edicti utilitatis causa datur, *utilis*: quae neque formula, neque vi, a directa quicquam differt. *l. actio* 47. *de nego. gest.* Sed de actionibus utilibus, & quam varie actio utilis dicatur, scripsimus ad *l. si mensor* 5. *si mensor fal. mod.*

dix. Tertia GVLIELMI ratio est appellationis istius, quia sit *approbata*, ita enim *actionem* dici *vulgarem*, in *l. si servus navem 42. de furt.* Sed isto modo omnes substitutiones *vulgares* dici possint, cum sint omnes *receptae & approbatae*: Tum vero, in *l. si servus navem. cit. de furt. vulgaris actio appellatur solennis, usitataque actio de peculio*, cui illud non additur, *AVT* noxae dedere. Quarta ratio, quia *verbis consuetis* fiat. At ista ratio pupillari convenient substitutioni, quae, uti iam diximus, *vulgaribus verbis* fit. Quinta ratio est, quia *expressa* sit: exprimi namque substitutionem istam nunc a testatore, nunc a lege, cum filio impuberi in pupillarem casum datur substitutus. *l. iam hoc iure 4. l. moribus 2. §. prius autem 4. hoc tit. l. quamvis 4. C. de im-pub.* Verum ista ratione pupillaris dici possit *vulgaris*: quam interdum testator, interdum lex exprimit, ut cum filio impuberi in *vulgarem* casum datur substitutus.

[21.] Addit ipse BARTOLVS ex sese sextam rationem, eo *vulgarem* dici, quia *nihil habeat solennitatis*, ita dici *praemium vulgare 13. l. editio 5. §. extat. de iure fisci.* Verum ista ratio a prima non differt. Quid enim aliud est, posse a quolibet cuilibet fieri substitutionem, quam nullis solennitatibus indigere? Tum vero in *§. extat. praemium vulgare* dicitur *solenne & constitutum iis*, qui sese deferunt, de quo Imperator in *l. 1. de iis, qui se detul. lib. x. C. Postremo*, substitutione ista *vulgaris* habet sua verba, habet suam formulam, habet denique solennia omnia, quae & ipsa institutio. *Vulgaris* igitur eo appellata *substitutio* est, quia *civis aetati & personae substitui* hoc modo potest: ea enim demum maxime *vulgaria* communiaque sunt, quae *legitima* sunt.

[22.] Quaeret aliquis, qua lege *vulgares* confirmantur substitutiones. Et dicendum est, eadem lege confirmari, qua & institutiones: gradu enim duntaxat a substitutione differt institutio.

[23.] Pupillaris autem substitutione moribus introducta est. Quae causa est, propter quam per se ipsa non consistat, sed paterno confirmetur testamento, eoque destituto evanescat. *d. l. moribus.* Aliunde autem non penderet, si legis autoritate fulciretur, cuius quanta vis sit, vel ex eo intelligi potest, quod ex pactis nudis (si quidem *legitima* sint) actiones oriuntur, ipsoque iure per huiusmodi pacta tollantur. *l. legitima 6. si tibi 17. l. si unus 27. §. pactus 2. de pactis.* Non omnino autem abs re dubitaverit quis, ecquid necesse fuerit confirmari institutionum, atque adeo testamentorum iura legis autoritate? Ego eo necesse fuisse puto, de testamentorum iure lege caveri: quia in tempus alienum testatorum conferuntur voluntates, mortis videlicet, qua iura omnia solvi constat.

[24.] Pupillaris autem ex eo dicitur *substitutio*, quod *pupillo duntaxat fiat*, hoc est, im-

puberi, qui in potestate est: quem *pupillum* videntur appellari in *l. ult. §. pupillus 2. de verb. obligat.* Quamvis vulgo *pupillus* dicatur is, qui impubes patria potestate liberatur, vel morte, vel emancipatione. *l. pupillus 239. de verbis signific. l. etiam si 29. de minor.*

[25.] Vulgaris substitutionis species tres BARTOLVS facit; *expressam, tacitam, partim tacitam, partim expressam.* *Expressam* quidem vel ita, *SI HAERES NON ERIT, vel, SI HAERES ESSE NON POTERIT: vel, SI HAERES ESSE NOLVERIT;* aut etiam verbo generali & communi, *TITIVM MAEVIO SUBSTITVO.* *Tacitam* eam vocat, quae in *expressa* pupillari continetur. *Partim expressam partim tacitam* substitutionem esse vult. *l. Julianus 26. si quis omis. causa test.* Et *l. ult. de inst. & subst. C. expressas esse illas, SI HAERES NON ERIT. SI HAERES ESSE NOLVERIT. SI HAERES ESSE NON POTVERIT,* in dubium non venit. De illa, quae hoc modo fit, *TITIO MAEVIVM SUBSTITVO*, dubitari potest. Sed verius est id, quod & BARTOLO videtur, *expressam* eam esse substitutionem, & in omnes casus valere. Quae enim generaliter dicuntur, interpretationem admittunt, non supplementur. *l. Gallus 29. §. sequente 13.*

[26.] *Tacitam vulgarem*, quae in pupillari continetur, qua ratione BARTOLVS appellat, non intelligo: id enim *tacitum* dicitur, quod testator voluisse intelligitur, manifeste tamen non declaravit: ut in *l. Titius 24. de haeredib. inst.* in qua in huiusmodi institutione, *TITIVS ET MAEVIVS VTER EORVM SUPERVIXERIT, HAEREDES SVNTO, tacite inesse* dicitur *substitutio.* Ita in *l. sicut. 5. de adimen. lega.* *Tacita legati ademptio iis verbis contineri* dicitur, *QVOD TITIO DEDI, SEMPRONIO LEGO.* Neque enim *tacitum* continuo est, *quicquid dictum non est:* sed id demum, quod *cogitatum est, & obscurius significatum.* Cum igitur de *vulgaris* casu testatorem, qui impuberi in secundum casum substituit, cogitasse non appareat, non dicitur *tacita substitutio*, quae ex *D. MARCI* constitutione in pupillari continetur: de quo si testatorem cogitasse appareret, *D. MARCI* constitutione nihil opus esset. Iam vero in *l. Julianus. cit. expressum* videmus *vulgarem* casum, & filiam ex substitutione admitti, omittente patre institutionem. Verum de sententia *l. Julianus.* scribimus ad *l. Nefennius 22. ad leg. Fal. in l. autem ulti. C. de inst. & subst. expressus casus est *vulgaris, si posthumus natus non fuerit.**

[27.] *Vulgaris* igitur substitutione rectius ita dividetur, ut quaedam *expressa* sit, quaedam *tacita*, quaedam *a lege intellecta*, & *tacita* quidem: ut in *d. l. si Titius. de haeredib. inst.*

[28.] Quaerit hoc loco BARTOLVS, num ita facta substitutione, *SI HAERES ESSE NON POTVERIT*, porrigitur ad illum casum, *SI HAERES*

HAERES ESSE NOLVERIT. Et respondet id, quod res est, *porrigi. l. Gallus 29. §. & quid si tantum 5. l. si mulier 22. ad Treb.* Etenim casus ii, SI HAERES ESSE NOLVERIT: &, SI HAERES ESSE NON POTVERIT, *huc denique redeunt, si haeres non erit, quemadmodum & illi, si morietvr, si emancipabitvr, si deportabitvr, si ab hostibvs capietvr, illuc redeunt, si in potestate esse desierit.* Quae ratio locum non habet in *l. commodissime 10. de lib. & posthum.* Nam in *l. ult. C. de postb. verba illa, INTRA DECEM MENSES, faciunt, ut neuter omisssus casus videatur.* Eadem quoque similitudo valet in *l. si mulier.* Neque mover, quod in *l. i. usus. 2. De procurat.* ista Iureconsultus separavit, *nolle & non posse.*

[29.] Quaerit praeterea BARTOLVS, num vulgarem substitutionem praecedere semper debat institutio? Et respondet, per se fieri posse substitutionem. Mihi aliter videtur. Si enim ita scribas, *si filius me vivo morietvr, titius haeres esto: nullum esse testamentum, quasi filio praeterito, iam docuimus: de quo plene scripsimus ad l. Gallus.*

[30.] Quaerit postremo, quot effectus sint vulgaris substitutionis? Et quinque esse respondet. Primus est, ut si ei, qui sui iuris est, fiat vulgaris substitutio, & is mutata conditione, alium haeredem faciat, non admittatur substitutus. Si autem servo homini, aut filios familias, tum demum substituto locus sit, si neque alii per personas has quaeratur haereditas, vel mutata conditione haeredes ipsi esse nolint. *l. si paterfamilias 40. de haeredib. instit. §. ult. de vulgari sub. lib. II. Inst. l. cum proponas 3. C. de haered. instit.* Secundus est, ut testamentum a secundo gradu possit vires sumere. *l. 3. de haered. instit.* Tertius, ut contineat pupillarem. Quartus, ut per eam testatori succedatur. Quintus, ut de suo haerede faciat voluntarium. *l. si filius haeres 16. de liber. & posthum. l. Papinianus 8. §. quarta 9. de inoffic. testam.* Et haec ita BARTOLVS. De quibus omnibus BARTOLI vestigiis insistentes considerabimus.

[31.] Circa primum effectum vulgaris substitutionis quaerit BARTOLVS, num ita semper haeredem dominum servus faciat institutus, ut substituto nunquam locus sit? Et de quaestione hac remittit nos BARTOLVS ad ea, quae scripsit ad *l. paterfamilias.* Ego BARTOLI sententia non expectata, distinguendum puto, scivitne testator, an ignoraverit servi conditio nem. Priore casu per servum dominus in solidum haeres fit: Posteriore cum substituto haereditatem D. TIBERIVS divisit instituto Parthenio servo suo. *l. & hoc 41. de haered. instit.* Et *§. ulti. de vulg. subst. lib. II. Inst.* puto, ne quid avare Imperator in sua causa constituisse videtur: quo enim iure partem, eodem totum assem

auferre potuisset. Quam avaritiae, & fordini notam, ut effugiant Imperatores, haereditatem restituere fogati, non solent Quartam retinere. *l. si legatus 30. §. si princeps 5. ad Treb.* Sed opponet aliquis, errantis nullam esse voluntatem. *l. si per errorem 15. de iurisdict. omn. iudic.* Quare ex ea institutione Parthenii nihil Imperatori acquiri potuisse. Sed valde dissimilia videntur, Praetorem alium pro alio adire, & servum alienum, quem liberum putabas, haeredem instituere. Nam cum servis alienis testamenti factio est: Praetorum autem distinctae ac separatae iurisditiones sunt, ut alio loco scripsimus. Sane, si Parthenium pro Sticho instituisset, nulla esset huiusmodi institutio. *l. quoties volens 9. de haered. instit.* Notat praeterea BARTOLVS verba illa, *si haeres non erit, sic esse exaudienda, NEQUE ESSE POTERIT:* Quod evenit repudiante instituto, vel tempore excluso. *l. quamdiu 69. de acquir. haered.* Quo in loco scribit Iureconsult. *Praetorem tempus deliberandi haeredi praestituere, intra quod haereditatem adeat: quo elapsa actiones ei denegat.* Quamvis enim tempore actio non tollatur, tamen denegare eam ex causa Praetor potest.

[32.] Quaerit hoc loco BARTOLVS, num si speretur in integrum restitutio, cesset substitutio? ut ecce, minor institutus repudiavit: potest in integrum restitui adeundae haereditatis gratia: admitteturne substitutus, quamdiu restitui minor posse speratur? Et respondet id, quod res est, nihil restitutionis spem morari substitutos, quominus adeant. *l. Et si sine 7. §. sed quod Papinianus 10. de minor.* Causam illam esse puto, quia, qui semel repudiavit, quamvis restitutus, haeres tamen non fit.

[33.] Quaerit item BARTOLVS, decedente instituto ante aditam haereditatem, haereditne haeres, an substitutus preferatur? Ad quam quaestionem BARTOLVS perplexe responderet: Nos ita respondemus, haereditatem non aditam neque ex novis legibus transmitti. *§. in novissimo 5. de caduc. tollen.* Exceptis iis personis, de quibus loquitur THEODOSII constitutio. *l. 1. de iis, qui ante apert. tab. & d. §. in novissimo.* Sane interdum emancipatorum, qui ante aditam haereditatem deceperunt, haeredibus bonorum possessionem servat Praetor. *l. ventre praeterito 84. de acquir. haered. l. illud 4. §. ult. iuncta. l. sequenti. de bono. possession. contra tabul.* Extranei vero, si aut ius deliberandi impetraverint, aut scientes sibi delatam haereditatem nihil fecerint, quo repudiasse videantur, ad haeredem deliberationem transmittunt. Sed neque ipsis, neque eorum haeredibus plus anno datur. *l. cum in antiquioribus 19. C. de iure deliber.* Sane, si antequam sciant, sibi delatam haereditatem, moriantur, ius hoc non transmittunt. *d. l. cum in antiquioribus.* Sed hodie tempus ad deliberandum sine causa petitur ab eo, qui

inventarium confidere potest. *l. ult. C. de iure delib.*

[34.] Quaerit **BARTOLVS**, de monacho haerede instituto, num eo recusante adire, coenobium adire possit. Ad quam quaestionem ego ita respondeo, voluntatem servi haeredis instituti expectari oportere. *l. cum proponas 3. C. de haered. instit.* Potest enim servus nolle adire: adeo, ut si metu verberum haereditatem adeat, dominum haeredem non faciat. *l. qui in aliena 6. §. ult. de acquir. hered. facit l. nec emere 16. C. de iure deliber.* Et sane cum aditio haereditatis, acquisitio sit, neque invitus quisquam acquirat, servi voluntas expectanda est: qui, quamvis alii acquirat, tamen acquirit. De quo plura dicemus ad *l. cum filio 3. hoc tit.* Neque obstat, quod per novam **IUSTINIANI** constitutionem, *cum non solum 8. de bon. quae liber. Cod.* a filio repudiata haereditatem adire pater potest: id enim constitutionis autoritate sit, non quia patri per filium haereditas quaeratur. Non idem in monacho iuris sit: qui in superiore voluntatis suae arbitrium translulit.

[35.] Quaerit consequenter **BARTOLVS**, num filii repudatio noceat patri, ita ut patri praeferatur substitutus. Respondet, non nocere: Quia verum sit, per filium patrem haeredem fieri. Quam interpretationem verba illa recipiunt, *si HAERES NON ERIT.* Ego rationem hanc falsam esse, puto: Tum enim per filium pater haeres sit, cum filius acquirit vel aditione, vel immistione, vel gestione pro haerede. *l. pretia 63. in illis verbis, Acquirit etenim: ad leg. Fal.* Legis itaque novae, ut paulo ante diximus, auctoritas facit, ut repudiante filio nihilominus haereditatem obtinere pater possit. Cum igitur pater lege nova adiuvetur, substitutus voluntate testatoris, patri facile substitutum praetulerim: ea enim ratione coniuncto praferimus substitutum. *l. II. §. ult. de bon. posse. sec. tab.*

[36.] Quaerit **BARTOLVS**, num fideicommissarius praeferatur vulgari substituto. Et distinguit. Vel enim repetitum non esse a substituto fideicommissum: & hoc casu praeferri vulgarem substitutum: repetito autem a substituto fideicommissario, fideicommissarium praeferri. Verum de hoc **BARTOLVS** sine causa dubitat. Nam omnino debetur a substituto fideicommissum, relictum ab instituto. *l. si Titio & Maevio 61. §. Julianus 1. de leg. II. l. non iustum. 4. C. ad Treb.* Quamvis autem substitutus debeat fideicommissum, relictum ab instituto, cogetur nihilominus institutus postulante fideicommissario haereditatem adire: interesse namque eius potest, ex institutione potius, quam ex substitutione haereditatem accipere. *l. recusare 6. §. Titius 5. & l. facta 63. §. Julianus 13. ad Treb.* Quo in loco legendum est **SUBSTITUTO MAEVIO**. cuius nos lectionis admonet **ACCVRSIVS**, quam ego in **Diensi** meo Codice manuscripto reperi.

Quin & cohaeres, quasi substitutus, fideicommissario respondet. *d. l. non iustum. & d. §. Julianus.*

[37.] Quaerit **BARTOLVS**, si indignus haeres institutus haereditatem non adeat, fiscusne, an substitutus admittatur? Et respondet, fiscum admitti, per *l. si sequens gradus 15. ad Syllan.* Mihi secus videtur. Neque enim ante bona publicantur, quam constet, esse occisum patrem-familias, & haeredem ante quaestionem de familia habitam suppliciumque sumptum, adiisse haereditatem. *l. necessarios 5. §. non alias 2. ad Syllan. l. si ea. 3. C. eod. facit. l. aufertur 2. de iis, quib. ut indig.*

[38.] Quaerit **BARTOLVS**, num institutus & substitutus aliquo casu simul admittantur. De quo dicemus ad *l. verbis civilibus 7. hoc tit.* Patronus quidem ex a se institutus propter fideicommissum a se relictum legitima portione retenta reliquam haereditatem ad substitutum transferens, non videtur simul cum substituto admitti, neque enim portionem eam ex testamento patronus retinet, sed iure proprio *l. si sequens 15. §. ult. ad Syllan.* Quod ipsum filio instituto facere non licet: nam, quae portio patrono debetur in bonis liberti, *alienum aes appellari potest*, quemadmodum & portio, quae arrogato debetur in bonis arrogatoris, ex *d. PII* constitutione. *l. si arrogator 22. De adop.* filio autem in bonis patris nulla portio debetur. In quo utroque lapsus **BARTOLVS** est; de quo plura scribemus ad *l. I. huius titu.*

[39.] Secundus effectus vulgaris substitutionis est, ut ea testamentum sustineat. *l. si filius haeres 16. de liber. & posthum.* in qua filius decedens ab intestato patri succederet, si neque a substituto, neque a cohaerede testamentum sustineretur. De quo scripsimus *lib. I. lect. variar. ad l. si filius haeres.* Pupillaris autem substitutio testamentum non sustinet, cum appendix sit & sequela paterni testamenti, eodemque iure censeatur, quo legata, fideicomissa, libertates, ea denique, quae in testamento relinquuntur. De quo dicemus ad *l. I. huius tituli.* Sane interdum a substitutione testamentaria incipit successio. *l. 3. de liber. & posthum. l. si miles 7. De iniusto, rupto, irrit. testam. l. si is, qui solvendo 55. de haered. instit. l. I. C. eod. d. §. quidam quatuor haeredes.*

[40.] Quaerit **BARTOLVS**, Si primo gradu institutus haeres quidem esse possit, sed non eo modo, quo defunctus voluit, admittaturne substitutus? Vt ecce, suus institutus, emancipatus postea est. Quam dubitationem **BARTOLVS** suam facit. Ad quam respondet: admitti dunt taxat substitutum, si ex necessitate facta sit substitutio. *l. Gallus 29. §. & quid si tantum 5.* Sin aliter facta sit, admitti substitutum negat. *§. suus autem. de haered. instit. lib. II. Instit.* Ego autem, ut hoc posterius verum esse confiteor, ita prius illud falsum esse puto. Et in primis

primis semper ad hunc lapidem **BARTOLVS** impingit, quod ex formula **GALLI AQVILII** nepotem substitui putat: De quo iam antea diximus.

[41.] In illo item peccat, quod nepotem in isto casu emancipato filio praferri putat, ac si cum emancipato non esset factio testamenti: qui etiam praeteritus cum liberis tamen suis coniungitur. *l. 1. de coniung. cum emancip. &c.* Neque praeteritus modo, verum & exhaeredatus perlata querela. *l. si proponas 23. de inoffic. test.* Potremo, si emancipati non valet institutio, quasi praeteritus iure Praetorio turbabit testamentum. Quare dicendum est, isto **BARTOLI** casu utramque ex institutione simul admitti. Nam, quod Iureconsultus ait in *l. cum in testamento. 37. de haer. instit.* nullo modo cum filio posthumum nepotem ex **GALLI** formula institutum admitti, intelligendum est, si in casum mortis filii posthumus nepos instituatur: qui solus casus in **GALLI** formula exprimitur. Nam, quod in §. & quid si tantum. 5 leg. **Gallus.** emancipatio morti comparatur, non ita accipi convenit, ut quemadmodum mortuo filio, vivo avo, solus nepos ex institutione admittitur, ita quoque emancipato filio, qui testamento haeres scriptus erat, soli nepoti haereditas ex testamento deferatur: Verum ita, ut nepos, filio tam mortuo quam emancipato, admittatur, neque ei obstat pater, quo minus ex testamento haeres esse possit. Ab intestato sane sui obstant emancipatis iure civili. Nam Praetor ad bonorum possessionem una cum suis vocat emancipatos ex illa parte Edicti, unde liberi. *l. si quis. 5. si tabulae test. nullae exstab. unde liberi.*

[42.] Quaerit **BARTOLVS**, num testamentum possit vires sumere a vulgari, quae continetur in expressa pupillari, an vero requiratur primi gradus aditio? De quo non idem **GVL**. **de CVNEO, CYNVS, DYNVS & ACCVRSIUS** senserunt. **BARTOLVS**, pupillarem substitutionem, non adita paterna haereditate, expirare putat, sed vulgarem tacitam, quae inest in expressa pupillari, testamentum sustinere, neque alterius gradus additionem requirere. *l. idem est. 13. §. ult. de mil. testam.* ubi tacitam directam substitutionem in fideicommissaria **BARTOLVS** commisicitur, ideoque eo loco servo deberi haereditatem, existimatur. Ego autem puto, voluntatem militis id facere, secundum quam rescripsisse Imperatores, scribit Iureconsult. Nuda enim militis voluntas, in militis testamento spectatur. *l. tractabatur. 14. de milit. testam.* in Pagani autem testamento, iusta voluntas. *l. 1. de testamen.* Everso igitur sententiae **BARTOLI** fundamento, ad propositam quaestionem sic respondendum arbitror: vulgarem substitutionem, quae in pupillari continetur ex **D. MARCI** constitutione, ad bona duntaxat impuberis pertinere, ut, sive haeres sit pupillus, sive haeres non sit, & intra pubertatem decedat, eum habeat haere-

dem, quem ei pater testamento dedit. Nam ex pupillari testamento, nisi post mortem pupilli non succeditur. De hac autem quaestione plura scribemus ad *l. 1. & 2. huius tit.*

[43.] Quaerit **BARTOLVS**, mortuo filio vivo patre, admittaturne substitutus ex tacita vulgari? Et distinguit ineptissime. Ego puto, non admitti, cum pupillus filius famil. decesserit.

[44.] Quaerit **BARTOLVS**, num substitutus posthumo in secundum casum, non nato posthumo admittatur ex tacita vulgari? Distinguitque non minus absurde, quam in quaestione superiore. Quaestionis autem responsio ex iis, quae ad superiorem quaestionem respondimus, elici potest. Cum enim posthumus, qui natus non est, bona habere non possit, nullo modo haeredem habere potest.

[45.] Tertius effectus vulgaris substitutionis, filio impuberi factae, est, ut pupillarem contineat substitutionem, ex **D. MARCI** constitutione. *l. moribus 2. §. sed & si quis. 5. l. iam hoc iure 4. hoc tit. l. quamvis. 4. C. eo.* Quod ita verum est, si voluntas testatoris non refragetur: ut in **d. l. iam hoc iure.** & *l. cum ex filio 39. §. 1. hoc tit. & d. l. quamvis.*

[46.] Quaerit **BARTOLVS**, num si mater in medio sit, vulgaris ad pupillarem trahatur? Et ait, glossam ad *l. precibus 8.* variare: utramque tamen glossae partem veram putare. Ego existimo, quotiescumque pater filio impuberi, quem habet in potestate, in alterum casum substituit, in utrumque valere substitutionem. **DIVI** enim **MARCI** constitutio generaliter loquitur, neque matrem excipit, quae in filii successione fratri non antefertur. *§. sed nos. ad Tertul. lib. III. Instit.* Cui sententiae argumento esse potest. **d. l. quamvis.** in qua matre superstite, tamen quaeritur, num vulgaris substitutione ad pupillarem trahatur? Et rescritbit Imperator, non trahi: non quia mater in medio sit, sed quia refragetur voluntas testatoris. Argumento item est. *l. ult. de instit. & substit.* in qua matre superstite sine causa inter **PAPINIANVM & VLPIANVM** controvertitur, num vulgaris casus ad pupillarem trahatur, si quidem mater **DIVI MARCI** constitutioni obstat. Neque movet **d. l. ult. in fin.** & *l. Lucius Titius 45. hoc Tit. & l. in testamento 6. C. de mil. testa. & l. precibus 8. cit. C. de impuber.* Lex enim ultima in casu proposito intelligenda est, hoc est, cum mater filio cohaeres datur: ut eo casu pupillaris substitutione, quae alioquin in vulgari continetur, locum non habeat, si pupillo mater supersit: id quod ex voluntate maxime testatoris Imperator videtur constituisse. In *l. autem, Lucius Titius.* ideo vulgaris substitutione in pupillarem casum non valet, quia personis disparibus fit: ut & in **d. l. in testamento** In *l. autem, precibus.* constat de milite loqui Imperatores. (Ita enim aiunt: **NAM SI IN PATRIS MILITIS POSITVS POTESTATE, IN VVL-**

CAREM CASVM ACCEPIT SVESTITVTVM,
&c.) a quo facta substitutio in casum duntaxat
expressum valere intelligitur. Nam, & si miles
quem ex fundo haeredem instituat, is nihil prae-
ter fundum habet. *l. si miles 6. l. duobus 37.*
l. miles item 41. de milit. testam.

[47.] Quaerit postremo BARTOLVS, num
expressa vulgaris, facta furioso, contineat tacitam
exemplarem? Et quaestionem hanc BARTOLVS
reiicit ad *l. ex facto. 43. hoc tit.* Ego puto, non
continere, cum huiusmodi substitutiones privi-
legiariae sint: de quo plura dicemus suo loco.

[48.] Quartus effectus vulgaris substitutionis,
ut per eam testatori succedatur. Quaerit hoc
loco BARTOLVS, num per vulgarem expre-
sam, quae continet pupillarem, succeditur pu-
pillo? Et negat succedi. Movetur, puto,
§. 1. de pupil. subst. lib. II. Instit. verum in eo
§. utrumque casum exprimit testator hoc modo,
SI FILIVS HAERES NON ERIT, SEIVS
ESTO: ET SI FILIVS HAERES ERIT, ET
INTRA PVBERTATEM DECEDAT, SEIVS
HAERES ESTO. quo casu pupillaris substitutio
sufficit filio, ut si haeres sit, siue non sit, &
intra pubertatem decedat, haeredem habeat ex
D. MARCI constitutione, arg. l. cum ex filio 39.
§. 1. hoc Titulo. Quod si pater in vulgarem
duntaxat casum filio substitut, & sibi & filio
abstinenti, intra pubertatem quandocunque de-
cedenti, haeredem dedisse intelligitur. Cur
enim in expressum casum non valeat substitutio,
quae ex *D. MARCI constitutione ad contrarium*
casum trahitur? Neque obstat *l. moribus. 2. §.*
sed & si 6. hoc tit. Quo in loco per vulgarem
expressam patri succedi ait Iureconsultus. Ne-
que enim negat, quin filio quoque abstento
quandoque intra pubertatem decedenti, ex ea-
dem substitutione succedatur. Et sane, quem
pater sibi haeredem facit, abstinenti quoque
filio haeredem dare videtur: cui & exhaeredato
haeredem dare potuisset. Alioquin filius absten-
tus intra pubertatem decedens, intestatus decede-
ret: quae sententia pupilli utilitatem impugnat.

[49.] Quaerit BARTOLVS, num vulgaris,
quae in expressa pupillari continetur, ad bona
pupilli trahatur? & negat trahi. Ego ad bona
duntaxat pupilli pertinere puto. De quo superius
scripsimus, & ad *l. moribus. 2. infr. scribemus.*

[50.] Quaerit, utrum tacita vulgaris noceat
matri? Et scribit non nocere, quia per eam
succeditur testatori, non pupillo. Ego vero
per eam pupillo, non testatori succedi iam antea
demonstravi.

[51.] Quaerit BARTOLVS, num per aditionem,
quae fit ex tacita vulgaris, confirmetur ex-
pressa pupillaris? Et de quaestione hac una cum
BARTOLO ad *l. moribus.* dicimus. Quamquam
ex iis, quae dicta sunt, satis constat, ex pupil-
laris substitutione testamentum non confirmari.
l. ex pupillari 44. hoc tit.

[52.] Quaerit, num ex substitutione vulgari,
partim expressa, partim tacita, mater in casum
non expressum admittatur? Et ait admitti, per
l. ulti. C. de instit. & subst. quamvis in ea lege
de patris successione quaeratur. Nam contra ta-
citam pupillarem matrem admitti, id vero dubium
non esse. Et haec ita BARTOLVS, qui ex eo
colligit, in *d. l. ult.* agi de *successione patrisfa-*
millas, quin non dubitet, quin adversus pupil-
larem, in vulgari comprehensam, mater admittatur.
At nos superius demonstravimus, non ad-
mitti, nisi ex testamento militis. Quare ad
BARTOLI quaestione sic respondendum ex-
stimo. Nato posthumo, & abstinente paterna
haereditate, ad eius successionem non substitu-
tum, sed legitimum pueri haeredem admitten-
dum. Ad portionem autem paternae haeredita-
tis, substitutum. Quod si posthumus haeres
existat, substituto matrem in totum obiici, con-
iuncta scilicet pupilli & patris haereditate. In
summa, substitutum, qui alioquin matri pre-
ferratur in bonis pupilli, ad impuberis bona non
admitti, si pupillo mater data cohaeres filio
superfuerit. Quae sententia est *d. l. ult.*

[53.] Quaerit postremo, num paelegata ve-
niant in vulgarem substitutionem? Ad quam
quaestionem, BARTOLI sententia non expecta-
ta, facilis responsio est, substitutum eam por-
tionem praceptionum habitarum, quam a se
ipse, hoc est, iure haereditario, haeres cepis-
set. Portiones vero, quae pro parte cohaere-
dum constituerunt, non habiturunt. *l. miles 75.*
§. pro parte 1. de leg. II. Aliud dicendum de
cohaerede, qui non est substitutus: nullam enim
is partem de paelegato retinet. *l. qui filiabus 17.*
§. ulti. iuncta l. sequen. de leg. 1.

[54.] Quintus, ac postremus effectus vulga-
ris substitutionis, autore BARTOLO, ille est,
ut de suo ac necessario haerede faciat voluntar-
ium. *l. Papinianus 8. §. quarta 9. de inoff. test.*
Quae lex tantum abest, ut BARTOLI senten-
tiam confirmet, ut eam etiam impugnet. Nam
in *d. §. quarta.* de filio emancipato loquitur Iu-
reconsultus, suo enim, Praetoris beneficio ab-
stento, merito querela inofficiosi denegetur: sa-
tis enim habeat, si in damno non versetur. Iam
vero *l. si filius haeres 16. de lib. & postb.* qua
BARTOLVS sententiam suam constituere nitit-
tur, parum eum adiuuat: neque enim filius, cui
nepos est substitutus, omittit sponte sua haere-
ditatem: sed quia, dum posthumus expectatur,
testamentum in eo est, ut rumpatur, filius ex te-
stamento interea haeres esse non potest. Quin
ex eo, quod AFRICANVS ait, non nato post-
humo nepotem & patri & avo suum haeredem exi-
stere, filium retro haeredem fuisse ex testamen-
to intelligimus. Si igitur de necessario voluntar-
ium facere testator velit, ita scribat oportet,
FILIVS SI VELIT HAERES ESTO. l. iam du-
bitari 86. de hacred. instit.

[55.] Supereft videamus, quae caufae impedit vulgaris ſubstitutionis effectum. Et in primis, adita haereditate expirant vulgares ſubstitutiones, puberibus liberis factae. *I. post aditam 5. C. de impub.* Nam impuberibus factae, acquisitione haereditatis non extinguntur. Abſtento namque poſtea pupillo, & ſubstitutis & cohaeredibus locus fit. *I. ex contractu 44. de re iudic.* De quo plura inferius dicemus. Neque obſtat *Novella*, *hoc amplius 32. C. de fideicommiss.* eius namque legis auctoritate, poſt aditam ab instituto haereditatem, admittuntur nihilominus ſubstituti, ſi institutus defuncti voluntati non paruerit. Neque ſubstituti modo, verum & cohaeredes, & fideicommissarii, & legatarii: omnes denique, qui ex teſtamento capiunt.

[56.] Quaerit **BARTOLVS**, ſi plures ſint haeredes instituti, num aditione unius ſubstitutiones omnes vulgares extinguantur? Et verum eſt, eam duntaxat extingui, quae facta ſit ei, qui pro parte ſua haereditatem adiit. Sane ſi teſtator ita ſubſtituat, *SI NEQVE HIC, NEQUE ILLE HAERES ERIT: vel, SI HAERIDES TITIVS ET MAEVIVS NON ERVNT: vel, SI PRAEDICTI HAERIDES NON ERVNT*, niſi omnibus repudiantibus, non admittitur ſubstitutus. *I. quidam teſtamento 30. hoc tit. I. quamvis 4. C. eod.*

[57.] Quaerit insuper, adverſus aditionem haereditatis reſtituto minore, ſit ne vulgari ſubſtituto locus? Neque dubitat, quin locus ſit. *I. ſed & ſi 7. §. ſed quod Papinian 10. de minorib. I. ex contractu 44. de re iudi. I. moribus 2. §. interdum 2. hoc tit.* Mihi ſeens videtur. Nam in *d. §. ſed quod Papinianus.* reſtituto minore, qui adiverat, neceſſarium duntaxat ſubſtitutum ex reſcripto Imperatoris admitti, ſcribit Iureconsulſis, ſi haereditas ſolvendo non ſit: nam haereditates niſi idoneas, fiscus non invadit. Ficum autem minore reſtituto adverſus aditionem, invitari intelligimus ex *I. ult. de ſuccēſſ. edic.* quo in loco ſcribit **PAPINIANVS**, primo gradu, qui bonorum poſſeffionem agnoverat, aetatis beneficio in integrum reſtituto, ſequentes gradus ad bonorum poſſeffionem non admitti, ſed ficum invitari, puto, quaſi ad bona vacantia. De quo ſcripsimus libro II. lection. variar. Neque obſtat *d. I. ex contractu.* in qua pupillo datus ſubſtitutus licet in vulgarem caſum, tamen ex **DIVI MARCI** conſtitutione in utrumque caſum datus intelligitur: ut mirum minime ſit, abſtento pupillo, qui haeres extitit, admitti ſubſtitutos. Non obſtat denique *§. interdum.* in quo de minore adeundae haereditatis gratia reſtituto, loquitur **VLPIANVS**. Neque tamen ei alias actiones, quaam uiles Praetor dat.

[58.] Quaerit **BARTOLVS**, num exiſtentia ſui haereditis, ut ipſe loquitur, ut autem Iureconsulti loquuntur, nudum nomen ſui haereditis, impedit vulgarem ſubſtitutum? Ad quam quaeflionem non prolixe minus, quam inepte, reſpondet. Ego ita reſpondeo, nudum nomen ſui haereditis ſubſtitutis non obſtar: Et niſi ex teſtamento filius haeres ſit, admitti ſubſtitutos. De quo plura inferius dicemus. Quaerit in caſu *I. poſtbunus 12. de iniusto, rupto, & I. aequiſſimum 2. §. sub conditione 1. de honor. poſſ. ſec. tab. & §. non tantum. quib. mod. teſtam. infir. lib. II. Instit.* admittaturne ſubſtitutus? Et verum eſt, admitti, ſi Praetoris beneficio uti nolit institutus.

[59.] Quaerit de eo, qui cum poſſet haereditatem adire, petiit bonorum poſſeffionem, ſeceritne locum ſubſtituto? Et cum hic pro haerede gelliſſe videatur, ſine dubio ſubſtitutum ſummovit. *I. puherem 12. C. de iure delib.* Quae bonorum poſſeffio ſuo neceſſaria non eſt ad obtinendam ſucceſſionem. *I. ſuum. 13. C. eod.*

[60.] Quaerit de eo, qui eſt institutus ſub conditione, cui parere non vult. Et reſpondet, admitti ſubſtitutum. *I. II. C. de instit. & ſubſtit.* Ego cum diſtincſione reſpondendum puto *I. ſuus 4. §. ult. de haeredit. instit.*

[61.] Quaerit, impuberem emancipato, cui puto pupillariter ſubſtituerat, extinguitur una cum pupilli vulgari, quae in pupilli contineuntur? De quo fruſtra **BARTOLVM** dubitare, exiſtim: cum **D. MARCI** conſtitutio ad eas ſubſtitutes non pertineat, quae emancipatis ſiunt: ſed iis duntaxat, qui in potestate ſunt. Sane pupillarem irritam fieri conſtat ſecuta emancipatione. *I. cohaeredi 41. §. cum filiae. 2. hoc Tit. & per conſequens, ne in caſum quidem vulgarem valebit.*

[62.] Quaerit, egresso pubertatem eo, cui in ſecundum caſum pater ſubſtituerat, valeatne in primum caſum ſubſtitutio? De quo etiam ſine cauſa **BARTOLVS** dubitat: cum poſt pubertatem cefſet **D. MARCI** conſtitutio.

[63.] Quaerit poſtremo, ſi puberi vel extraeo ſiat pupillaris ſubſtitutio, num vulgarem ex **DIVI MARCI** conſtitutione contineat? Ad quam quaeflionem ex iis, quae iam diximus, facile reſponderi poſteſt. Nam **DIVI MARCI** conſtitutio ad eas duntaxat ſubſtitutes pertinet, quae liberis impuberibus ſiunt. Neque ad rem attinet, quod extraneo ita ſubſtitui poſteſt, **TITIVS HAERES ESTO, SEIVS EI HAERES ESTO,** & quaſi vulgari iſta ſubſtitutio accipitur. *I. ult. C. de haeredit. instit.* neque enim Seius Titio ſubſtituitur, ſi Titio haeres ſit. Et haec de vulgari ſubſtitutione.

LIBRI XXVIII.

DIGESTORVM TITVLVS VI. DE VVLGARI ET
PVPILLARI SVBSTITVTIONE.

AD LEGEM PRIMA M.

I. MODESTINVS Libro secundo Pandectartum.

Haeredes, aut instituti dicuntur, aut substituti. Instituti, primo gradu: substituti, secundo vel tertio. Haeredis institutio aut duplex est, aut simplex; simplex, veluti, LVCIVS TITIVS HAERES ESTO: SI MIHI LVCIVS TITIVS HAERES NON ERIT, TVNC CAIVS SEIVS HAERES ESTO. Duplex, veluti, FILIVS MIHI HAERES ESTO: SI HAERES NON ERIT, SIVE ERIT, ET INTRA PVBERTATEM DECESSERIT, TVNC CAIVS SEIVS MIHI HAERES ESTO. Substituere liberis tam haeredibus institutis, quam exhaeredatis possumus: & tam eum, quem haeredem nobis instituimus, quam alterum. Substituere liberis pater non potest, nisi haeredem sibi instituerit. nam sine haeredis institutione, nihil in testamento scriptum valet.

S V M M A R I V M.

1. Heres unde dictus.
2. Instituti proprie in b. l. sunt accipiendi.
3. Lex in infinitum heredes scribere nobis permittere videtur.
4. Nomine heredis ceterae, praeter testamentarias, substitutiones excluduntur.
5. Quaenam simplex heredum institutio?
6. Per vulg. substitutionem SI HERES ERIT, sibi duntaxat testator heredem facit.
7. Per clausulam SIVE ERIT &c. impuberi pater heredem dat.
8. Per pupillarem substitutionem proprie succeditur pupillo.
9. Libcris substituere, heredem dare, testamen- tum facere idem significant.
10. Per fideicommissum pater exheredato non substituit.
11. An praeterito possit pupillariter substitui?
12. Miles potest liberis substituere, licet heredem sibi non instituerit.
13. Omnim graduum institutiones testamenta-

[1.] **G**OVEANVS. Ait Iureconsult. *Haeredes.*) Haeredes accipere debemus scriptos, vel nuncupatos; nam & nuncupati instituti appellantur. *l. 1. de baered. instit.* Dicuntur haeredes vel ab aere, hoc est, pecunia nostra: vel ex eo, quod haeredes veteres dominos appellabant.

sustinent.

14. Lex ult. de bered. inst. quomodo intelligenda?
15. Explicatur Nov. 115. c. 2.
16. Obiter emend. l. 14. Cod. de fideicomiss.
17. An per Nov. 115. confirmentur fideicomiss. hereditates?
18. Num filio in legitima instituto per fideicomiss. possit substitui?
19. Quantum inter portionem patrono debitam & legitimam filii intersit?
20. Quomodo filio portio deberi dicatur, & quemadmodum appelletur Legitima?
21. Quarta Falcidiae est triens vel semiſſis.
22. Quarta, quae filium a querela submovet, non est in bonis ipsius filii.
23. Iure Civ. filius duas quartas non retinet.
24. Pater filio non solum naturali, sed & arrogato in legitima instituto, directo substituere potest.
25. Filius in legitima institutus & rogatus restituere, querela inofficioſi agere potest.

§. ult. de baer. qual. & dif. lib. II. Inst. facit l. his verbis 48. de baered. instit. vel ab haerendo, quod ad vicem testatoris proxime accedant.

[2.] Ait Iureconsult. *Instituti primo gradu.*) *Institutos* hoc loco proprie accipere debemus. Nam institutionem & generis & speciei nomen esse, superius docuimus. Gradum autem locum appellat Iureconsultus in l. 2. §. defertur. 4. de bon. possess. sec. tab. Et hunc seu gradum, seu locum

cum ex ordine, quo cuique haereditas desertur, accipere debemus. *l. moribus 2. §. prius 4. infra eo.* Cui enim primo haereditas ex testamento desertur, is *institutus*: cui secundo, is *substitutus* appellatur. Vnde sit, ut si aliquo casu in primum locum evadat substitutus, iure instituti censeatur. *l. cum ex filio 39. §. quidam quatuor. 2. infra eodem.*

[3.] Ait Iureconsult. *Substituti secundo vel tertio.*) vel etiam ulteriore. Lex enim, quae permittit, ut nobis haeredes scribamus, & provideamus, in infinitum permettere videtur. *l. post 36. infra eo.* Non ut plures diversorum graduum habere quis successores possit: adita namque haereditate, expirant vulgares substitutiones. *l. post aditam 5. C. eo. sed ne intestati decedamus destituta primi, vel secundi, vel tertii gradus institutione.* Non sunt autem gradus ii confundendi, & conturbandi, quod faciunt ii, qui tertium & quartum *secundum* appellant, exemplo *secundarum nuptiarum*, quo nomine omnes post primas significantur. Nam quemadmodum primo secundus, ita secundo tertius substitutus est. Quod, ut Iureconsultus significaret, addidit, *VEL TERTIO*, nec ei satis fuit dixisse, *SECUNDO*. Eo igitur substitutionem *secundam institutionem ACCVRSIVS* appellat: non quia *secundi* appellatione tertium velit comprehensum, sed quia cum infiniti gradus substitutionum fieri possint, satis sit de secundo exprimere. Ita *CAIVS* definit *SECUNDI HAEREDIS APPELLATIONEM.* In quo *L ANC. POLITVS* reprehensus a nobis superius est, & merito. *VLPIANVS* tit. *qui haered. instit. poss.* *Haeredes*, inquit, *aut instituti dicuntur, aut substituti: instituti, qui primo gradu scripti sunt, substituti, qui secundo gradu, vel sequentibus.* Neque tamen negaverim, per consequentiam omnes omnium graduum haeredes primo intelligi substitutos. De quo dicemus ad *l. cohæredi 41.*

[4.] Ait Iureconsult. *Haeredis substitutio aut duplex.*) Nomine *Haeredis* substitutiones excludentur, quae in legatis, fideicommissis, & donationibus causa mortis fiunt. *l. ut haeredib. 50. de leg. II. cum simil.* De quo superius diximus.

[5.] Ait Iureconsult. *Simplex, veluti.*) In qua alter exprimitur casus, *simplex* appellatur *substitutio*: quae si impuberi fiat, ex *D. MARCI* constitutione *quasi duplex* accipitur: id quod & *ACCVRSIVS* notat. (*LVCIVS TITIVS HAERES ESTO.*) haec *institutio* est: quae nisi praemitteretur, non esset Seius substitutus, sed sub conditione *institutus*. arg. *l. si quis ita haeres instituatur 82. de haered. instit. AZONIS* enim ratio, propter quam *institutionem* praemitti putat oportere, ridicula est. Regula enim illa juris, quae in extrema hac lege ponitur, & in *l. eam quam. 14. C. de fideicomiss.* ad vulgares

substitutiones minime pertinet: quae & ipsae testamenta sustinent, non secus, atque institutiones. *l. si filius haeres 16. de lib. Et posthum.* quemadmodum superius scripsimus.

[6.] Ait Iureconsult. *SI HAERES NON ERIT.*) Haec vulgaris est substitutio: quae quamvis impuberi fiat, tamen, quia adiicit testator, *SIVE HAERES ERIT*, nullam ex *D. MARCI* constitutione interpretationem recipit. *l. cum ex filio 39. §. I. infra eo.* Itaque per vulgarem hanc sibi duntaxat testator haeredem facit. *§. I. de pupil. substit. lib. II. Inst.* Quod si filio impuberi vulgari tantum modo pater substituat, & sibi & filio haeredem scribit. *l. moribus 2. §. sed Et si ita 6.* Dubitet autem non immerito quis, quemadmodum possit filius non esse haeres, cum haeres sit necessarius: neque sine haerede decessisse videatur, qui suum haeredem reliquit, quamvis abstinentem se. *l. cum quasi 30. §. sed Et si fatus 10. de fideicomiss. libertat.* Sed dicendum est, necessariis permittere Proconsulem abstinere: impuberibus, etiam post immisionem: puberibus, ante immisionem. Minoribus autem xxv. annis post immisionem aditus succurrit Praetor. *l. necessariis 57. de acquir. haered.* Abstenti autem ex testamento haeredes non sunt. Solae autem testamentariae successiones excludunt substitutos. De quo plura suo loco dicemus.

[7.] Ait Iureconsult. *SIVE ERIT.*) Per hanc clausulam filio impuberi haeredem dat pater. *d. §. I. de pupillar.* & quidem legis interpretatione in casum utrumque: ut etiam abstinent, si intra pubertatem decedat, haeredem eum habeat, quem ei pater dedit, exclusis omnibus omnino legitimis pueri haeredibus, quemadmodum superius diximus.

[8.] Ait Iureconsult. *HAERES MIHI ESTO.*) Per pupillarem propriè succeditur pupillo. *l. sed si plures 10. §. si exesse 4. infra eod.* Quod si patri haeres filius exitat, patri quoque succedit: cuius haereditas cum pueri haereditate confusa & commista ad substitutum pervenit: & quidem ita, ut separari altera ab altera non possit. *d. l. sed si §. 2. nisi forte a substituto necessario:* De quo in *l. si filius, qui patri 12. infra eod.* Quin & qui pupillo abstinenti haeres existit, testatoris haeres dici potest. *l. si pupillus 89. de acquir. haered. l. paterfamil. 28. de privil. cred.* De quo plura suo loco dicemus.

[9.] Ait Iureconsult. *Substituere liberis.*) *Liberi substituere, Haeredem dare, Testamentum facere.* pro eodem dicuntur. Nam, ut iam antea scripsimus, qui exhaeredato substituitur, non alia ratione dicitur *substitutus*, nisi quia secundus ex testamento haeres est, cum ab hac successione non possit incipere testamentum. De quo dicemus ad *l. moribus 2. §. ult.*

[10.] Ait Iureconsult. *Quam exhaeredatis.*) Rite exhaeredatis. Vitiosa enim exhaeredatio

pro praeteritione habetur. *l. 3. de liber. & posthum.* *l. non putavit 8. §. si ab uno 3. de bon. poss. contr. tab.* Neque in eo iniuria exhaeredato filio fieri videtur, quod ei pater haeredem dat. Per fideicommissum sane exhaeredato pater non substituit. *l. cohaerediti 41. §. cum filiae. 2. infra eo.* Ratio illa est, quia per fideicommissum bonis duntaxat nostris substituimus: neque alia bona, quam nostra, in fideicommissum venire possunt. *d. §. cum filiae 2. de quo ad eundem §. plura dicemus.* Impuberis autem exhaeredati substitutus ne tum quidem gravari potest, cum pater exhaeredato aliquid reliquit. *l. cum quidam 24. C. de legat. & l. qui fundum 24. §. qui filios 7. Ad leg. Fal.* Quod si substitutus impuberis exhaeredati, patri quoque existat: gravari potest, ut in casu *d. §. qui filios 7. & l. in ratione 30. §. ulti. eod. tit.*

[11.] Praeterito num pupillariter substitui possit, vulgo quaeritur? Et cum praeteritio sui iniustum faciat testamentum, *l. postbumi 3. de iniust. testam.* non valebunt pupillares substitutiones; verum quemadmodum filio praeterito legata, fideicomissa & libertates conservamus, si is fratribus controversiam non faciat: ita & pupillares substitutiones tuebimur, quae pupilli utilles & honorificae sunt: & ita visum est **JACOBUS ARENIS**, quem refert **BARTOLVS**. Expugnato autem testamento per querelam inofficiosi testamenti a filio exhaeredato, expirant pupillares substitutiones: & quidem in totum, si totum expugnatum sit testamentum: si vero pro parte, salvae manent pupillares substitutiones. *l. Papinianus 8. §. sed nec impuberis 5. de inoff. testam.*

[12.] Ait Iureconsult. *Nisi haeredem sibi instituerit.*) Excipiens miles est: id quod & **ACCVRSIUS** notavit.

[13.] Ait Iureconsult. *Nam sine haered. inst. &c.)* Primi, vel secundi. Omnitum enim graduum institutiones sustinent testamenta. Idem dicendum est, & de destitutis institutionibus. *l. moribus 2. §. adeo 1. infra eod.* Pupillares autem substitutiones (quae testamenta non sustinent, *l. ex pupilli 44. infra eod.*) sine haeredis institutione, vel destituta institutione, non consistunt: in quo eodem iure, quo legata, quo fideicomissa, quo libertates testamento relictæ censentur. *l. nam quod 14. §. 1. Ad Trebel. l. eam, quam 14. C. de fideicommiss.*

[14.] **ADVERSUS** regulam hanc opponit **ACCVRSIUS**, & post eum **BARTOLVS** *l. ult. supra de haered. instit.* in qua secundi testamenti institutiones non valent: legata tamen ex eo praestantur. Et casum eum singularem uterque putat, & vere. Neque sane aliis, quam Imperator, mulieri succurrere potuisset: cum falsus rumor non vitiet testamentum, ut eodem loco scribit **PAVLVS**. Sed imperator, cuius est iura condere, translata ei, & in eum, *lege*

*Regia populi potestate, voluntatem testatoris sequutus (præfatione illa, QVIA HAEREDES, QVOS VOLVI MIHI CONTINGERE, HABERE NON POTVI: satis declaratam) pronuntiavit, haereditatem ad mulierem pertinere, quasi in secundo testamento haeredem scriptam: eoque legata, in eo testamento relictæ, praestituram. Neque enim praestari possunt legata, quasi relictæ in priore testamento, cum per posterius sublatum id sit, & quidem ipso iure. Vti enim iam diximus, secundum testamentum falso rumore non vitiatur. Ita in *l. 3. C. de inoff. testam.* partum novissimum eius mulieris, quae ex puerperio decessit, pro instituto haberri volunt Imperatores **SEVERVS & ANTONINVS**: ne quasi exhaeredatus matris rescindat testamentum, quae, filiis reliquis haeredibus institutis, decesserit.*

[15.] Opponit idem **ACCVRSIUS Novell.** *Ex causa 115. cap. 2. C. de lib. praet.* quae legata, & fideicomissa, & libertates valere iubet, irritis factis institutionibus ex causa praeteritionis, vel exhaerationis. Ad quam obiectio nem in hunc modum responderet **ACCVRSIUS** in *d. Novella, ex causa.* loqui Imperatorem de testamento, quod habet institutiones: hoc autem loco Iureconsultum de testamento loqui, in quo nulla fit institutio. Sed haec responsio mihi non placet, propterea, quod paria sunt. *Non esse factam institutionem, aut, Destitutam esse institutionem. l. morib. 2. §. adeo 1.* Nam intestati exitum facit non solum is, qui haeredem non instituit: verum & is, cuius ex testamento haereditas adita non est. *l. 1. de su. & leg. haer.* Id quod **ACCVRSIUS** praesentiens, configit ad communem illam solutionem, *Ius dictae Novellae, ex causa, esse ius novum.* Recte igitur mihi videtur post eum **BARTOLVS** scriptisse, *eadem Novella & institutiones tolli, & legata confirmari:* sine qua confirmatione, labefactatis institutionibus, relictæ in testamento necessario corruerent. Neque assentior iis, qui per *eam Novellam*, irritas duntaxat, hoc est, sine effectu, non etiam nullas ipso iure, institutiones esse volunt. Nam & verborum Graecorum *ακαπουμφην, & αιατραπεῖσα,* quibus utitur Imperator, alia vis est, & cum diserte vetet Imperator, in posterum ita testamenta scribi, ut filii causa non apposita exhaeredentur, vel praeterantur: necesse est fateamur, nullas eas esse institutiones, quasi factas contra iuris regulas & præcepta. Neque item iis assentior, qui *dictam Novellam* de praeteritione patris intelligunt: cum enim testamentum, in quo filius est a patre praeteritus, ipso iure nullum sit, *l. 1. & 3. de iniust. testam.* nihil sicut necesse, ab Imperatore super ea re novum ius constitui. De matris itaque praeteritione intelligenda *Novella* est, quae nisi exhaerationis vim haberet, praeteritis a matre querela inofficiosi testamenti non daretur.

[16.]

[16.] Ego adversus eam regulam oppono *l. eam, quam 14. C. de fideicommiss.* in qua fideicommissum relictum in testamento, destituta institutione, valet. Verum, in ea lege ita relictum fuerat fideicommissum; *ut a successoribus ab intestato* deberetur: sic enim legendum eum locum, non, ut vulgo legitur, *AB INTESTATO SVCCESORIBVS*, ut ostendimus libro *primo Lectionum variarum*. Casus autem complures, quibus in testamento relicta valent destitutis institutionibus, congerit *ACCVRSIUS* ad *d. l. eam, quam 14.*

[17.] Quaerit *BARTOLVS*, num per *Novellam, ex causa*, confirmenetur fideicommissariae haereditates? de quo se scripsisse ait ad *l. ita tamen 27. §. quoties 6. ad Treb.* Ego, *BARTOLI* sententia non requisita, exhaeredato nego posse per fideicommissum substitui: cum per fideicommissum bonis duntaxat nostris substituamus, non etiam alienis. *l. cobaeredi 41. §. cum filiae 2. infra eod.* Nisi forte filio exhaeredato aliquid relinquamus: quo casu substitui ei per fideicommissum potest, ut in tantum oneretur, in quantum honoratus est. *d. §. cum filiae*, sane substitutus exhaeredati rogari potest impuberis haereditatem restituere, si modo idem sit haeres institutus. *l. ita tamen 27. §. a patre 4. ad Trebel.* facit *l. in ratione 30. §. ulti. ad leg. Falcid.*

[18.] Quaerit postremo *BARTOLVS*, num filio in legitima instituto substitui possit per fideicommissum? Et respondet, filium huiusmodi fideicommissio non teneri, legitimum haeredem filii teneri, per *l. cum patronus 28. de leg. II. per l. cobaeredi 41. §. cum filiae 2. infra eo. per l. si fundum 92. §. ult. de leg. I. qui hodie est §. ult. l. si Tilio pecuniam*. Sed leges eae *BARTOLI* sententiam non probant. Inprimis enim *l. cum patronus 28.* loquitur de portione, quae est *aes alienum*: quamvis ex ea libertus olim legare potuerit quibusdam personis. *l. si iis, quibus 4. de cond. & demon.* Hodie namque patroni portio gravari nullo modo potest. *§. sed nostra. de succ. libert. lib. III. Inst.* Quarta autem, quae filium a querela inofficiosi testamenti submovet, non est *aes alienum*. argumento *l. Papinianus 8. §. meminisse 14. & §. si quis impubes 15. de inoffic. testam.* Quibus in locis scribit *VLPIANVS*, *Impuberem arrogatum, qui in querela inofficiosi testamenti non obtinuit, quartam non amittere, quam habet ex D. PII constitutions, propterea quod ea quarta aes alienum sit: filio autem, qui de inofficio testamento egit, nec obtinuit, quartam a fisco auferri.* Ex quo intelligimus, non esse eam quartam *aes alienum*.

[19.] Quantum autem interstis inter utramque quartam, ex eo intelligimus, quod *lex XII. Tab. lex Julia & Papia*, & postremo *IVSTINIANI constitutio certam*, definitamque portionem in bonis liberti patrono constituit. *d. tit. de succ. libert.* Filio autem in bonis patris nihil certi

lex tribuit: utpote quem haereditatem expectare velit & iudicio parentis, eamque obsequiis promereri. Filius praeterea per exhaeredationem ab universa patris successione submoveatur, neque turbat iure Civili patris testamentum. *l. non putavit 8. de bon. poss. cont. tab.* ideoque nec ad bonorum possessionem contra tabulas admittit eum Praetor. *d. l. non putavit 8.* Patronus autem si in legitima parte non sit institutus, contra tabulas petit. *l. sed cum patrono 6. de bon. poss. l. illud 4. de bon. poss. con. tab.* Et quia portio patroni, aes quoddam alienum videtur, si patronus ex legitima institutus portione, suspectam haereditatem dicat, cogetur quidem a Praetore adire: sed ante, quam restituat, poenitendo portionem eam retinere poterit. *l. ita tamen 27. §. si patronus 13. ad Treb.* quod alii quam patrono non non permitteretur. *l. nam quod 14. §. qui compulsus 4. ad Treb.* Merito igitur dubitaverit quis, quemadmodum *filio portio deberi* dicatur, & quemadmodum *Legitima* appelletur. Et dicendum est, filio deberi, non simpliciter, sed si querelam inofficiosi testamenti excludere velimus. Vti enim iam diximus, exhaeredatus filius iure Civili non turbat parentis testamentum. *LEGITIMA* autem ex eo appellatur, quod *Falcidiam* sit, hoc est, quarta portio, portionis ab intestato contingentis. Cui enim triens ab intestato deberetur, eum uncia una a querela inofficiosi testamenti submoveat. Nam in triente institutus nihilo plus haberet per legem *Falcidiem*. Ex eo autem *Legitimam eam portionem* appellari, quae testamenti inofficiosi querelam excludit, coniici potest, quod in *l. quae nuper. 31. C. de inoffic. testam.* portio ista & *Legitima*, & *Falcidiam* ab Imperatore appellatur. Facit *Novella, unde & si. 92. c. I. eod. tit.* Item ex eo, quod aucto portionis istius modo ad trientem & semissem pro filiorum numero per *Novellam, Novissima 18. c. I. C. de inoffic. testam.* auctus quoque sit *Falcidiae* modus ad trientem & semissem pro numero haeredum. *Novel. 164. de haered. & Falcid. in prin. secundae partis.*

[20.] Quo in loco scribit *IVSTINIANVS, Falcidiam trientem esse, vel semissem:* & si vulgaris interpretatio falso, *Quadrantem*, habet. Neque est, quod *VIGLIVS* causetur, in vetere Graeco exemplari scriptum se reperisse *tētaptōv*: nam & *EVSEBIVS in Chronicis* testatur, *Falcidiam* trientem esse quatuor haeredibus aut paucioribus institutis. Et Imperator in *Novel. 92. de immensis donat. ad trientem & semissem auctam a se Falcidiam*, ait. Et necesse sane est, auctas ad eundem modum duas has quartas esse. Nam si quadrante suae portionis filius institutus contentus esse cogitur, cur & cum exhaeredatum quadrans suae portionis non submovebit a querela inofficiosi testamenti? Neque movet, quod querela inofficiosi testamenti *legē Falcidia* antiquior sit. Nam ante eam legem nulla certa por-

tio liberos a querela excludebat: post eam legem latam coepit filium exhaeredatum a querela removere ea portio, quam *lex Falcidia* haeredi instituto desinivit.

[21.] Multum itaque per omnem modum differt portio, quae filium a querela excludit, a portione, quae patrono debetur in bonis liberti. Atque ita responsum sit ad *l. cum patronus 28. de leg. II.*

[22.] Eodem modo respondendum est ad *l. cohaeredi 41. §. cum filiae 2. quo in loco scribitur, propria bona filii haereditatem restituere rogati, in fideicommissum non venire.* Nam quarta, quae filium submovet a querela, non est in bonis ipsius filii: cum ab universa patris successione per exhaerationem possit submoveri. Facit *l. parentibus 8. C. de inoff. test.* ubi ex parentis iudicio quarta dicitur obtineri; facit *l. Papinianus 8. §. meminisse 14. de inoff. testam.* in quo legis *Falcidiae* autoritate, filium rogatum restituere, quartam retinere scribit, **VLPIANVS**.

[23.] Neque est, quod quisquam dicat, duas quartas filium retinere: alteram, per *legem Falcidiam*, hoc est, per *S. C. Trebellianum*: alteram vero, suo iure. Nam iure Civili duas quartas non retinet filius, *l. quanquam 10. C. ad legem Falcid.* *l. cohaeredi 41. §. cum filiae 2. infra eod.* sed iuris Canonici autoritate, *C. Raynutius 16. de testam.* & ult. volunt. de quo scribemus ad *l. 1. ad l. Falcid.* Iam vero, quod per *l. si Titio pecuniam. 92. §. 1. de leg. 1. probare sibi BARTOLVS* videtur, legitimum haeredem filii in quarta instituti, fideicommissio onerari posse, quamvis puer non possit, vehementer errat. Nam in casu illius *§. a filio etiam relinqui fideicommissum* potest. Textum igitur afferat oportet, in quo a filio non possit fideicommissum relinqui, a legitimo autem filii haerede possit: quem nusquam reperiet: quamvis a substituto impuberis exhaeredati fideicommissum relinqui

possit, si idem patri haeres extitit. *l. ita tamen 27. §. a patre 4. ad Treb. l. plane 34. de legat. 1.*

[24.] Ut igitur ad **BARTOLI** quaestionem pro **BARTOLO** respondeamus, dicendum est, filio impuberi in legitima instituto, substituere patrem directo posse. *l. ex tribus unciis 26. C. de inoff. test.* Neque solum naturali filio, verum & arrogato. *l. si arrogator 22. de adopt. l. sed si plures 10. §. in arrogato 6. infra co.* quamvis aes alienum videatur quarta arrogati. *l. Papinianus 8. §. si quis impubes 15. de inoffic. test.* Per fideicommissum autem utriusque intra pubertatem substitui potest; post pubertatem vero, naturali tantum, non etiam arrogato. arg. *d. l. si arrogator.* Quo in loco scribit Iureconsultus, *post pubertatem filio arrogato in quarta D. PII per fideicommissum non posse substitui, propterea, quod quarta haec aes sit alienum.* At a nobis demonstratum iam est, quartam, quae filium submovet a querela, non esse *aes alienum*. Quid ergo, dicat aliquis, in *Falcidia*, & in *Trebellianica* substituere filio pater potest? respondendum est, non posse: cum utraque haec quarta invito testatore retineatur. *l. Titia 86. ad leg. Falcid.* Facit *l. filium, quem 24. C. fam. ercisc.*

[25.] Potest autem filius in legitima institutus, & rogatus restituere, movere in officiosi testamenti querelam: nisi forte ei quarta salva sit aliunde. *l. si ut allegas 11. C. ad leg. Falc.* Querelam autem si praetermittat, & patris iudicium agnoscat, nihil habet legitimus filii haeres, quod queratur. *l. cum mota. 6. C. de transact.* Nec enim haeredi, sed filio facta iniuria est. Querelam itaque movere potest filius, ad quem ex testamento quarta non pervenit suae portionis. Quod enim quis restituit, non intelligitur ad eum pervenisse. Hodie tamen non agit de in officioso filius, sed supplementum legitimae partis petit. *l. omni modo 30. l. scimus 36. C. de in offic. testam.* Et haec ad *legem 1.*

II. VLPIANVS Lib. vi. ad Sabinum.

Moribus introductum est, ut quis liberis impuberibus testamentum facere possit, donec masculi ad quatuordecim annos perveniant, foeminae ad duodecim. Quod sic erit accipiendum, si sint in potestate: caeterum emancipatis non possumus: plane posthumis possumus: nepotibus etiam possumus & deinceps, si qui non recasuri sunt in patris potestatem. Sed si eos pater praecedat, ita demum substitui eis potest, si haeredes instituti sint, vel exhaeredati: ita enim post legem Velleam, succedendo non rumpunt testamentum. Nam si principale testamentum ruptum sit, & pupillare evanuit. Sed si extraneum quis impuberem haeredem scripserit, poterit ei substituere, si modo eum in locum nepotis adoptaverit, vel arrogaverit, filio praecedente.